


CODEX MEDICAMENTARIUS EUROPAEUS

SECTIO QUINTA

PHARMACOPOEAM
ROSSICAM, FENNICAM ET POLONICAM
CONTINENS.

TOMUS I.

PHARMACOPOEA ROSSICA ET FENNICA.

LIPSIAE ET SORAVIAE,
APUD FRIDERICUM FLEISCHER.
1821.

PHARMACOPOEA

ROSSICA.



EDITIO NOVA AUCTIOR.

LIPSIAE ET SORAVIAE,
APUD FRIDERICUM FLEISCHER.
1821.

Commoda Medicorum tironum et Pharmacopoeorum per vastissimum Imperium Rossicum in servitio constitutorum permoverunt Imperiale Collegium Medicum, res medicas per totam Rossiam dirigens, ut norma officinis nostris ante aliquot lustra data, nunc, seculo nostro imprimis hac scientia inclarescente, sub alia magis limatiori prodiret forma.

Hinc Collegii jussu Rossica Pharmacopoea a sodale suo cl. *N. Karpinsky* elaborata, selectis optimorum hujus artis virorum observationibus referta, a Collegio revisa approbataque in lucem editur.

Liber in duas divisus partes. Prima exhibet materiam medicam, simplicia ex triplici naturae regno breviter descripta; circa unamquamque plantam adjecta sunt momenta sequentia:

1) *Nomen officinale Plantae.*

2) *Nomen systematicum Linnaei.*

3) *Duratio plantarum.*

4) *Locus natalis.*

5) *Qualitates medicamentorum, et illorum plurium bonitatis notae.*

6) *Virtus et*

7) *Usus experimentis comprobatus.*

8) *Dosis.*

9) *Regulae generales colligendi servandique plantas*

Secunda pars circa Praeparata et Composita versatur, quorum processus prius antiquas, dein hodiernas denominationes servant, descriptosque processus statim sequuntur eorum virtus, usus, dosisque.

Libra medica uncias duodecim continet, uncia drachmas octo, drachma scrupulos tres, scrupulus grana viginti. Drachma ponderis civilis patria appellatione *Solotnik* respondet uni drachmae medicae et paulo minus decem granis.

Nachricht.

Man bittet sich durch die Norm Pars I., II. und III. nicht irren zu lassen. Eigentlich enthält diese Sectio nur 2 partes. Durch ein Versehen wurde jedoch bey einer Unterabtheilung in Pars I. die neue Norm Pars II. gesetzt, und da diess zur Zeit nicht entdeckt wurde, so musste man diese Norm fortlaufen lassen und bey dem wirklichen Pars II. die Norm Pars III. gebrauchen.

PHARMACOPOEAE ROSSICAE

PARS I.

MATERIA MEDICA.

ABIETIS TURIONES; THUS, sive LACRYMA, sive RESINA NATIVA; RESINA COMMUNIS, quae pro colore vario fit alba, flava, bruna. *Pinus abies* Linnaei. Classis XXI. Ordo Monadelphia. Arbor per Rossiam septentrionalem vulgatissima.

Odor turionum balsamicus.

Sapor acescens, balsamicus.

Virtus antiscorbutica, diuretica.

Usus. Scorbutus, arthritis.

Dosis. Drachmae duae cum aquae unciis sex infusum s. decoctum.

Odor thuris ex arbore sponte stillantis fragrans.

Sapor amaricans, balsamicus, satis gratus.

Virtus diuretica.

Usus. Sabulum, tussis catarrhalis.

Dosis. Magnitudine nucis avellanae praevio tritu cum vitello ovi.

Resina e trunco arboris inciso transsudans, in aqua decocta, colata et a sordibus bene pur-

gata ad inducendam emplastris tenacitatem, forma sicca, servatur.

ABROTANI herba, summitates. *Artemisia abrotanum*. L. cl. XIX. Ord. Polyg. Superfl. Suffrutex in Sibiria spontaneus, et in hortis ubique colitur.

Odor fragrans, gratus.

Sapor amaricans, aromaticus.

Virtus aperiens, emmenagoga, anthelmintica,

Usus. Vermes, cachexia, suppressio menstruorum.

Dosis. Uncia dimidia in infuso.

Librae sedecim herbae recentis, et summitatum, vix drachmas tres olei destillati suppeditant.

ABSYNTHII VULGARIS herba, summitates. *Artemisia Absynthium*. L. cl. XIX. Ord. Polyg. Superfl. Planta perennis, in Rossia et Sibiria spontanea.

Odor gravis, fragrans.

Sapor intense amarus.

Virtus anthelmintica, antiseptica, resolvens, tonica.

Usus. Vermes, febres intermittentes, icterus, colica frigida, appetitus languidus, hydrops.

Dosis. Drachma una cum aquae, aut vini unciis octo infusum.

ACACIAE s. PRUNI SYLVESTRIS flores. *Prunus spinosa*. L. cl. XII. Ord. Monogyn. Frutex humilis in dumetis, et locis apricis Rossiae australis creber.

Odor florum recentium gratus.

Sapor amaricans, in amygdālas amaras incidens.

Virtus eccoprotica.

Usus. Alvus segnis infantum.

Dosis. Florum recentium uncia dimidia, siccorum vero drachmae duae cum aquae unciis sex infusum.

ACETOSAE folia recentia. *Rumex acetosa* L. cl. VI. Ord. Trig. Planta perennis crescit fere ubique.

Odor nullus.

Sapor intense acidus, gratus.

Virtus refrigerans, antiscorbutica, aperiens.

Usus. Ascites cum leucophlegmatia, scorbutus, diaeta antifebrilis, acrimonia ranunculorum, morbi cutanei, calculus.

Dosis. Succi expressi unciae quatuor, cum sero lactis; vel herbae recentis uncia dimidia cum iuris libra una decoctum.

Ulcera putrida foliis contusis cum successu deligantur.

ACETUM est liquor, ex vino denuo fermentationem suscipiente, natus.

Odor fragrans, proprius.

Sapor acidus.

Virtus resolvens, antiseptica, diaphoretica.

Usus. Febres inflammatoriae, gangraena, carbunculus, erysipelas biliosum, effluvia mèphitica, plantarum virus.

Dosis. Uncia una cum aqua communi.

ACONITI s. NAPELLI herbae recentis extractum. *Aconitum Napellus.* L. cl. XII. Ord. Trigyn. Planta perennis in Rossia temperata, et Sibiria australi spontanea.

Odor fortis, herbaceus.

Sapor acris, pungens.

Virtus sudorifera, maxime resolvens, irritans.

Usus. Rheumatismus chronicus, arthritis, anchyloses, malum ischiaticum, asthma, febres quartanae, lues venerea inveterata, spina ventosa, scrophulae.

Dosis. Extracti granum unum bis, ter, quater, sexies, octies de die cum saccharo, pro re nata, datur.

ACORI VERI s. CALAMI AROMATICI radix. *Acorus calamus.* L. cl. VI. Ord. Monog. Planta perennis in Rossia et Sibiria australi spontanea.

Odor fragrans, fortis, nauseosus.

Sapor aromaticus, nauseosus, acris, leviter amaricans.

Virtus detergens, antiseptica.

Usus. Anorexia, febres exanthematicae malignae, asthma, scorbutus.

Dosis. Scrupulus unus in pulvere.

AGARICUS CHIRURGORUM s. PRAEPARATUS s. QUERCINUS. *Boletus igniarius.* L. cl. XXIV. Ord. Fungi. Fungus in betulis et quercubus frequens, optimus est supra fagum.

Odor nullus.

Sapor nullus.

Virtus adhaesiva, obturans, sanguinem incrassans.

Usus. Haemorrhagiae.

Etiam LYCOPERDON BOVISTA L. easdem vires praestat.

AGARICUS MUSCARIUS. *Agaricus muscarius.* L. cl. XXIV. Ord. Fungi. Annuus, in pratis et sylvis Rossiae frequens.

Odor foetens.

Sapor acris.

Virtus inebrians, et in furorem coniiciens.

Usus. Epilepsia, convulsiones, strumae, fistulae mali moris, ulcera phagadaenica, pustulae corneae.

Dosis. Interne pulvis a scrupulo dimidio, ad integrum, ter de die; externe aspersio.

Autumno collectus, praeparatus, vase bene clauso servetur loco sicco.

ALCANNAE SPURIAE s. ANCHUSAE radix. *Anchusa tinctoria.* L. cl. V. Ord. Monog. Planta perennis, in locis siccis Rossiae australis spontanea.

Odor nullus.

Sapor mucidus.

Virtus tinctoria, quod pigmentum soli cortici inest, et spiritum vini, olea, axungias, ceram, colore profunde et grate rubro tingit.

ALLII radix. *Allium sativum.* L. cl. VI. Ord.

Monogyn. Planta perennis, ubique in hortis colitur.

Odor proprius.

Sapor acris, subdulcis.

Virtus diuretica, anthelmintica, febrifuga, diaphoretica.

Usus. Hydrops, taeniae, asthma pituitosum, febris quartana, scorbutus.

Dosis. Ad tres spicas, vel nucleos; succi uncia una cum lactis libra una.

ALNI folia. *Betula alnus.* L. cl. XXI. Ord. Tetrandr. Arbor in locis aquosis crescens.

Odor nullus.

Sapor adstringens, amaricans.

Virtus discutiens, lactifuga, vulneraria.

Usus. Lac puerperarum suppressum, ulcera corrosiva.

Folia recentia postquam concisa super ignem in disco incaluerunt, et insudarunt, dein illa calide applicentur bis, vel pluries de die, etiam hyeme, modo antea aqua conspergantur.

ALOE PELLUCIDA s. LUCIDA, SUCCOTRINA, HEPATICA, CABALLINA. Aloe pellucida est omnium purissima, optima, nigricans, splendens, friabilis, in parvis fragmentis, et in fractura, rubicunda transparens, contrita sistit nitido-flavum pulverem, ab *Aloe spicata* L. Aloe Succotrina, Hepatica, Caballina ab *Aloe perfoliata* L. cl. VI. Ord. Monogyn. Perennis, in India utraque colitur.

Color succotrinae flavido-ruber, in purpureum inclinans, in pulvere aurea superficie splendens, friabilis est.

Odor instar myrrhae.

Sapor amaro-aromaticus.

Color hepaticae profundior, superficies non tam splendens.

Odor fortior, magis ingratus

Sapor amaricans, magisque nauseosus.

Caballina vilior est reliquis, color eius longe obscurior, fereque niger, et non nisi pecoribus datur.

Odor foetidus, ingratissimus, ob multam copiam resinae, sordium, sabulique.

Virtus omnium, purgans, stimulans, antiseptica, sanguinem excandens, pellens menses, et haemorrhoides.

Usus. Obstructio alvi et mensium.

Dosis. A granis duobus, tribus, ad sex, cum extracto amaro, in pilulis.

Gravidis, et haemorrhoidalibus usus aloes non permittitur.

ALTHEAE radix, folia. *Althea officinalis* L. cl. XVI. Ord. Polyandr. Planta perennis in Rossia australi, et Sibiria spontanea.

Odor nullus.

Sapor subdulcescens, mucilagineus.

Virtus emolliens, lubricans, demulcens.

Usus. Ulcus vesicae, pleuritis, morbilli, nephritis calculosa, stranguria, dysenteria, gonorrhoea, raucedo, tussis, tenesmus.

Dosis. Radicis drachmae tres, cum aquae libra una ad dimidium coquantur.

Folia non nisi externe adhibentur.

Radix ad dimidiam fere ponderis, folia vero, vix ad quartam partem erogant mucilaginis, quae est optimum resinarum menstruum.

ALUMEN CRUDUM. SULFAS ALUMINAE. *Alumen nativum.* L. cl. II. Minerae. Salia. Conficitur in Gubernio Tamboviensi. Est sal medium, ex acido vitrioli, terra aluminari, et aqua crystallisationis constans.

Odor nullus.

Sapor stypticus, dulcescens.

Virtus adstringens, styptica, exsiccans, antiseptica.

Usus. Ulcera fungosa, putrida, laxitas uvulae et faucium, prolapsus, variolae confluentes putridae, haemorrhagiae, vehementior haemoptoe pulmonum ex atonia, colica pictonum, ophthalmia, diabetes, fluor albus.

Dosis. Intus octo, aut decem grana in pulvere cum saccharo; sive in pilulis cum gummi arabico et syrupo, sive cum sero lactis. Extus in solutione exhibetur.

AMBRA GRISEA. *Ambra ambrosiaca grisea.* L. cl. II. Minerae. Sulphura. Est bitumen intus griseum, extus nigricante crusta tectum, ad candelam facile liquescens, vix non totum in auras avolans, in pulverem tritum, evadit fragrantissimum, in omni mari quod Asiam, Africam, et

Iamaicam alluit, reperitur, sive ipsi innatans, sive rupibus littoris accretum.

Odor gratissimus.

Sapor resinosus, aromaticus.

Virtus excitans, augens vim nerveam.

Dosis. Grana quindecim, ad triginta cum saccharo in pulverem trita; aut alcohole soluta exhibentur.

Optimum signum bonitatis ambrae est, quando acui candefactae sibi immissae non adhaeret.

AMMONIACUS SAL. MURIAS AMMONIAE. *Ammoniacus sal.* L. cl. II. Minerae. Salia. Est sal neuter, ex acido salis, et alcali volatili constans. Paratur in Aegypto, Germania, Gallia. Quin etiam nativum, montes ignivomi, et Calmucorum regio largiuntur.

Odor levissimus.

Sapor frigoris sensum linguae imprimens, salinus, urinosus.

Virtus resolvens, antiseptica, diuretica.

Usus. Tumores frigidi, ecchymosis, scabies, ulcera putrida, fistulae, caries, gangraena, angina pituitosa, febres, obstructiones, hypochondriacorum et haemorrhoidariorum mala, mensium ataxia, hydrops, vermes, diarrhoea putrida.

Dosis. A scrupulo uno, ad duos, imo in gangraena ad drachmas tres per diem cum cortice peruviano datur. Extus ex uncia dimidia, ad duas, cum aqua frigidissima, seu oxycrato fomenta.

AMMONIACUM GUMMI. Est succus gummoso-resinosus, ex incerta quadam *Ferulae* specie obtentus, ex grumis flavescentibus constans, quibus ingens granorum numerus lactei coloris, ungues, seu amygdalae dictae, inhaeret; uberiorum horum unguium copia gummi ammoniacum abundans, melius habetur. Ex deserto Africae Barca venit.

Odor fragrans, gravis.

Sapor amaricans, acriusculus.

Virtus solvens, aperiens, expectorans, emmenagoga, diaphoretica, eccoprotica; Externe emolliens, resolvens.

Usus. Asthma, obstipatio, dysuria, hysteria, peripneumonia notha, hydrops, colicae inveteratae, tumores duriusculi.

Dosis. Drachma dimidia in mixtura, vel in forma pilulari datur.

AMYGDALAE DULCES, oleum expressum. *Amygdalus communis.* L. cl. XII Ord. Monogyn. Arbor in Gubernio Astrachanensi, et Asoviensi colenda, occurrit spontanea circa promontoria Caucasi australia ad Teflis, et in Cachetia.

Odor nucleorum debilis.

Sapor dulcescens, mitis.

Virtus obvolvens, nutriens; Olei frigide expressi blande antispasmodica, relaxans, obtundens.

Usus nucleorum. Febres vulnerariae, morbi inflammatorii, urinae ardor, haemorrhagiae; Olei, tussis, et stranguria, dolores nephritici,

colicae spasmodicae, dolores post partum, vermes, eclampsia.

Dosis. Amygdalarum dulcium unciae duae cum aquae purae libris duabus et dimidia in emulsione. Olei ad aliquot cochlearia.

AMYGDALAE AMARAE sunt praecedentis varietas.

Odor debilis.

Sapor amaricans, in Laurocerasum incidens.

Virtus anodyna, diuretica, feris deleteria.

Usus. Febres pertinaces intermittentes, hydrophobia.

Dosis. In forma emulsionis, ut praecedentes; vel integrae aliquot amygdalae comeduntur. Oleum expressum non differt sapore ab altero dulcium, et tardius altero rancescit.

AMYGDALAE NANAE nuclei. *Amygdalus nana.* L. cl. XII. Ord. Monogyn. In Gubernio Astrachanensi; in Ucrania; in Sibiria. Frutex in australioris Rossiae et Sibiriae plagis spontaneus, etiam Petropoli persistens.

Odor nullus.

Sapor amaricans.

Virtus, Usus, Dosisque, amygdalarum dulcium, quibus illi saepe apud nos substituuntur.

AMYLUM TRITICI paratur e *Tritici* speciebus ubique in Rossia.

Odor nullus.

Sapor farinaceus.

Virtus obvolvens, glutinans.

Usus. Amylum aqua coctum dat gelatum amyli, quod aqua dilutum in asperitate faucium, diarrhoea, dysenteriaque exhibetur.

ANAGALLIDIS herba. *Anagallis arvensis.* L. cl. V. Ord. Monogyn. Planta annua crescit in arvis et hortis.

Odor nullus.

Sapor initio oleraceus, postea amarus, cum acrimoniae sensu.

Virtus olim antimelancholica, hodie antilyssa.

Usus. Melancholia, mania, rabies canina.

Dosis. Pulveris drachma dimidia, ad scrupulos quatuor, bis per diem, vel in eiusdem decocto, vel in aqua simplici. Extus, Vulnera et ulcera venenata quotidie semel consperguntur pulvere.

ANETHI SEMINA. *Anethum graveolens.* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta annua per totam Rossiam hortensis.

Odor foliorum recentium gratus.

Sapor aromaticus, at flores magis aromatici, magisque calidi; Semina aromate herbae item et sapore, sed magis calida.

Virtus carminativa, lactifera.

Usus. Flatus, lactis inopia, praecipue singultus.

Dosis. Drachma una cum aqua infunditur.

ANGELICAE SATIVAE radix. *Angelica Archangelica.* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta biennis in Rossia spontanea, culturaque in hortis ubique crescit.

Odor radicis aromaticus, fragrans, gratus.

Sapor aromaticus, fortis, masticata acris, mordens in lingua et faucibus cum calore.

Virtus stomachica, sudorifera, carminativa, emmenagoga.

Usus. Pituitosa humorum diathesis, stomacace.

Dosis. Radicis drachma una cum aquae unciis sex infusum; in pulvere drachma una.

ANGUSTURAE seu AUGUSTINAE cortex. *Brucea antidysenterica.* Ioh. Frid. Mill. *Brucea ferruginea.* l'Héritier. In Angustura Americae australis, et in insula Trinidad.

Odor recentis ingratus, sicci vero nullus.

Sapor amaro-aromaticus.

Virtus febrifuga, tonica, antiseptica, antidysenterica.

Usus. Febres intermittentes et putridae, diarrhoea colliquativa, languor ventriculi.

Dosis. Pulveris grana quindecim ad viginti, omni trihorio; in infuso drachma una cum quatuor unciis aquae, de die.

ANISI semina. *Pimpinella Anisum.* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta annua colitur per Ucraniam frequentissima.

Odor suaveolens, proprius.

Sapor dulciusculus cum leviore aromate.

Virtus carminativa, incidens, lactifera, pectoralis.

Usus. Tormina, affectiones pituitosae ventriculi, et pulmonum.

Dosis. Drachma una cum aquae unciis tribus infusum; drachmae tres in clysmate.

Librae tres seminis, olei aetherei unciam unam, et plus, destillatione erogant.

ANISUM STELLATUM. *Illicium anisatum.* L. cl. XIII. Ord. Polyg. Arbor in China, et Tataria crescens.

Odor aromaticus.

Sapor gratus, in anisum incidens.

Virtus pectoralis, carminativa, diuretica.

Usus. Tussis, morbi catarrhales praecipue tempestate nebulosa.

Dosis. Drachma una cum aquae unciis tribus infusum.

ANTIMONIUM CRUDUM. STIBIUM. Est semimetallum, ex sulphure et regulo constans. *Stibium striatum.* L. cl. II. Ord. Minerae. Metalla. Obtinetur ex Hungaria, datur quoque circa urbem Nerczinsk.

Odor et *Sapor* nullus.

Virtus diaphoretica, sanguinem purificans, resolvens.

Usus. Morbi ab impuritatibus seri sanguinis: ut scabies, scrophulae, tumores rheumatici, ulcera chronica, et lues venerea inveterata.

Dosis. A scrupulo uno, drachma dimidia, ad drachmam unam cum magnesia in pulvere, sive pilulis.

Intus non aliud nisi antimonium crudum praeparatum exhiberi debet.

AQUIFOLII folia. *Ilex Aquifolium.* L. cl. IV. Ord. Tetragyn. Frutex in sepibus sylvisque Europae australioris, sub umbra aliarum arborum sponte provenit.

Odor nullus.

Sapor adstringens.

Virtus febrifuga, antiarthritica.

Usus. Febres intermittentes, arthritis, debilitas stomachi, icterus.

Dosis. Ad drachmam unam in pulvere; vel in infuso, vel decocto ad unciam unam per diem.

ARGENTUM. *Argentum nativum.* L. cl. II. Minerae. Metalla. Est metallum indigenum, album, auro levius, ductile.

Odor et *Sapor* nullus.

Virtus. Rubiginem non contrahit, nisi acido nitroso tangatur.

Usus. Mechanicus ad quaedam instrumenta chirurgica, praesertim oris cavo dicata, et ad parandum lapidem infernalem adhibetur.

Argentum non nisi purissimum in officinas recipiendum est, quod quidem, vel detonatione cum nitro, vel per reductionem lunae corneae obtinetur.

ARISTOLOCHIAE TRILOBATAE stipites, radix. *Aristolochia trilobata.* L. cl. XX. Ord. Hexandr. Planta herbacea, Surinami, et in Iamaica crescens.

Odor fragrans, fortis, fere corticis Padi.

Sapor leniter amaricans, odori congruens.

Virtus alexiteria, sudorifera.

Usus. Morsus serpentum, morbi contagiosi, febres intermittentes rebelles.

Dosis. Stipitum grana sex, ad viginti; drachmae duae in infuso, sub connubio inunctionis olei lini cum camphora.

Radicis virtus maior esse dicitur.

ARISTOLOCHIAE VULGARIS radix. *Aristolochia clematitis.* L. cl. XX. Ord. Hexandr. Planta perennis in Rossia australi spontanea, usque ad montes Uralienses.

Odor fragrans, subgraveolens.

Sapor amarus, inhaerens.

Virtus pellens, resolvens, diuretica, emmenagoga.

Usus. Asthma scorbuticum, cachexia, podagra, cacoëthes, hypersarcosis, fistula.

Dosis. Drachma dimidia pulveris, drachmae duae cum aquae, aut vini unciis quatuor infusum.

ARMORACIAE seu RAPHANI RUSTICANI radix recens. *Cochlearia Armoracia.* L. cl. XV. Ord. Silicul. Planta perennis in tota Rossia hortensis.

Odor fragrans, pungens, penetrans, oculos feriens.

Sapor fervidus, acris, dulcescens, saepe subamaricans.

Virtus diuretica, incidens, antiscorbutica, rubefaciens.

Usus. Scorbutus, anorexia, cachexia, hydrops, asthma hydropicum, raucedo, arthritis.

Dosis. Uncia dimidia cum iuris libra una decoctum; succi expressi uncia una cum vino albo.

ARNICAE flores, herba, radix. *Arnica montana.* L. cl. XIX. Ord. Polyg. superfl. Planta perennis in Sibiria australi spontanea.

Odor graveolens, sternutationem movens.

Sapor amaricans, acris; Folia siccata fragiuscula inter manus confricata et olfacta sternutationem excitant.

Virtus resolvens, discutiens, irritans, diuretica, diaphoretica, emmenagoga.

Usus. Sugillationes, morbi muscosi, obstructiones viscerum, paralysis, amaurosis.

Dosis. Florum drachma una, ad unciam dimidiam in libra una aquae ferventis infusum per diem; Radicis a granis quinque, decem, ad scrupulum unum, et ad drachmam unam in pulvere datur; herbae drachma una, cum aquae unciis sex infusum, semper extra febrim, et plethoram, usurpatur.

Arnica non confundenda est cum Hypochaeride maculata.

ARI radix. *Arum maculatum.* L. cl. XX. Ord. Polyandr. Planta perennis nemoribus Rossiae temperatioris crescens.

Odor nullus.

Sapor pungens, exsiccatione et lotione per aquam repetita, mitigatur.

Virtus sicca, stimulans, aperiens, incidens, diuretica, expectorans.

Usus. Colluvies pituitosa, anorexia, cephalaea sympathica, asthma pituitosum, cachexia, raucitas diuturna, febris intermittens.

Dosis. A scrupulo uno supraque pulvis eius dari potest.

Vix amplius radix succosa, nisi sicca in usum trahitur, quae post siccationem servari vasis bene clausis, et ab accessu aëris humidi arceri debet.

Herba s. folia sunt multo acriora radice.

ARSENICUM ALBUM, calx arsenici alba. Oxydum arsenici album. *Arsenicum crudum.* L. cl. II. Minerae. Sulphur. Passim in metallifodinis obvium.

Odor nullus, accensi vero foetor alliaceus.

Sapor acris, urens, inflammans.

Virtus maxime corrosiva, in minima vero dosi anticancrosa, febrifuga.

Usus. Cancer, febres intermittentes rebelles, hydrophobia, epilepsia.

Dosis requirit maximam cautelam, hinc eius forma sistitur: Arsenici albi sexaginta quatuor grana, cum aequalibus partibus potassae, aquae destillatae libra dimidia, in balneo arenae ad perfectam solutionem coquuntur. Solutioni frigidae addantur spiritus lavendulae drachmae quatuor, et aquae fluviatilis tantum, quantum opus est ad integram libram complendam. Huius liquoris octo-

ginta guttae continent $\frac{1}{2}$ grani arsenici, cuius solutionis infantibus duorum annorum guttae duae, adultis guttae decem (vix $\frac{1}{16}$ grani) bis per diem extra paroxysmum exhibentur. Externe in forma unguenti. e. gr. Arsenici, sulphuris ana drachmam unam, aceti destillati, unguenti saturni ana unciam unam. Huius unguenti pauca portione tenuissime linteum illitum cancroso ulceri applicatur.

ASARI radix, folia. *Asarum Europaeum.* L. cl. XI. Ord. Monogyn. Planta perennis in locis umbrosis Rossiae temperatae spontanea.

Odor radicis nauseosus; foliorum nullus.

Sapor radicis, et foliorum subaromaticus, acris.

Virtus purgans, diaphoretica, diuretica, emmenagoga, vomitoria.

Usus. Febres intermittentes, biliosae, hydrops, melancholia, coryza.

Dosis. Radicis scrupulus unus, ad drachmam dimidiam in pulvere; drachmae duae in decocto, cuius dimidium vasculum theanum omni bihorio bibitur.

Granum unum huius radicis, omni quadrante horae, seu per dimidiam horam exhibitum vires antispasmodicas exserit.

ASA FOETIDA gummi. *Ferula asa foetida.* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta perennis, crescens in Persiae campis montosis.

Odor foetidissimus, alliaceus.

Sapor amaricans, acris, mordens, diutissime in-

haerens, etiamsi os faucesque compluries eluti fuerint.

Virtus resolvens, antispasmodica, anthelmintica, anticariosa, diaphoretica.

Usus. Malum hystericum, et hypochondriacum, tussis suffocativa epidemica, caries, spina ventosa, tumores indurati, tympanitis, colica flatulenta, obstructio mensium, pituita pulmonum.

Dosis. A scrupulo uno, ad drachmam dimidiam et integram in pilulis; in clysmate ad drachmas duas.

ASTRAGALI EXSCAPI radix. *Astragalus exscapus.* L. cl. XVIII. Ord. Decandr. Planta perennis in montibus Thuringiae, collibus saxosis, glareosis, circa Nordhusam, in Hungaria spontanea.

Odor nullus.

Sapor amaricans, subadstringens.

Virtus resolvens, demulcens, involvens, antisyphilitica.

Usus. Tinea capitis, et omnes species luis venereae, rheumatismus, arthritis.

Dosis. Uncia dimidia cum aquae unciis quindecim ad dimidium consumptionis coquitur, et tale praebium mane et vespere sumitur tepide, non intermissa etiam eius applicatione externa.

Decoctum sapore ad infusum liquiritiae prope accedit, itidemque sapori amygdalarum amararum consimile.

AVENAE semina excorticata. *Avena sativa.* L. cl. III. Ord. Digyn. Gramen annuum per totam Rossiam in agris cultum.

Odor nullus.

Sapor farinaceus.

Virtus nutriens, demulcens, antiseptica.

Usus. Diaeta et potus febrilis, clysma. Unciae tres cum aquae libris quatuor coquuntur.

Tumores, a lacte coagulato, emolliuntur egregie pulte eius tepida.

AURANTIORUM malum immaturum, flores, folia, cortex, succus: *Citrus Aurantium.* L. cl. XVIII. Ord. Icosandr. Arbor Indiae orientalis, hodie in australi Europa, et in nostris caldariis copiosa alitur.

Odor mali viridis recentis, quod fit variae magnitudinis, fragrans.

Sapor paululum acerbus, sicci grate aromaticus, et intense amarus.

Odor succi maturi pomi subaromaticus.

Sapor grate acidulus.

Odor corticis flavedinis fragrantissimus.

Sapor grate amarus. *Odor* florum recentium suavissimus, siccorum fere nullus. *Sapor* amaricans; *Odor* foliorum manu tritorum grate fragrans. *Sapor* subamarus.

Virtus mali immaturi stomachica; maturi potissimum eius succi, antiphlogistica; corticis flavedinis roborans, febrifuga; florum analeptica; foliorum antispasmodica.

Usus pomi immaturi. Languor ventriculi; fon-

ticuli; succi s. eius roobis. Febres putridae, morbi chronici, scorbutus; Flavedinis corticis. Febres intermittentes, haemorrhagiae a laxitate, morbi nervosi, cum ventriculi languore; Foliorum. Convulsiones.

Dosis. Succi uncia una; corticis drachmae duae cum aquae unciis sex infusum; drachma una in pulvere; Foliorum drachma dimidia in pulvere; sive uncia dimidia per trihorium in vase clauso cum aquae libra una coquitur, et per diem consumitur.

Ex corticis flavedine elicitur oleum Bergamot dictum.

Ex floribus vero oleum destillatum, florum Naphae s. essentia Neroli.

AXUNGIA PORCI. *Sus scrofa.* L. cl. I. Mammalia. Belluae. Est pinguedo molliuscula, depurata, alba, e mesenterio hausta.

Odor nullus.

Sapor pinguis.

Virtus emolliens, leniens.

Usus. Pluribus unguentis, et balsamis dat basin.

BALSAMUM CANADENSE. *Pinus Balsamea.* L. cl. XXI. Ord. Monadelph. Arbor Canadae, nostrae vero hyemis patientissima.

Odor balsamicus, gratus, ad balsamum Meccae accedens.

Sapor mitis, vix amaricans.

Virtus externe, vulneraria, interne diuretica.

Usus. Ulcera, nec non affectiones nephriticae.

Dosis. Drachma dimidia sapone, vel vitello ovi excipitur.

Vires huius balsami perfecte supplet Terebintina Larigna.

BALSAMUM COPAIVAE. *Copaifera officinalis.* L. cl. X. Ord. Monogyn. Arbor Brasiliae, praecipue insularum Maranhon, et Gujanae civis.

Odor fragrans, balsamicus, non ingratus.

Sapor amarus punctim acutus, et linguae diu inhaerens.

Virtus balsamica, vulneraria, diuretica.

Usus. Vulnera recentia tendinum et nervorum, gonorrhoea, leucorrhoea, hydrops.

Dosis. Interne a guttulis quinque, decem, ad viginti quatuor per diem in vehiculo saponaceo; externe tepide instillatur.

Huius balsami adulterati signa sunt sequentia: *Color* flavo-pellucidus deest; *Odor*, et amaricans sapor, vero et genuino debilior reperitur. Adulteratio cum oleis expressis detegitur tinctura Tartari, in qua enim genuinum plane solvitur, et pellucidum manet, si vero oleum tale quoddam balsamo admixtum fuerit, solutio lactea evadit.

BALSAMUM PERUVIANUM ALBUM, et NIGRUM. *Myroxylon Peruiferum.* L. cl X. Ord. Monog. Arbor in regno Peruviano, Brasilia, terra firma, Mexico habitans.

Odor albi fragrans et gratior altero; nigri sua-

vis, fragrans styracinus, et praecipue siliquae vanillae consimilis.

Sapor pinguiusculus, amaricans, acriusculus.

Virtus vulneraria, consolidans, antispasmodica.

Usus. Vulnera nervorum, ulcera, tetanus, colica pictonum a debilitate, dolor, et convulsiones ex vulneribus, asthma.

Dosis. Scrupulus dimidius in emulsione, pilulis; externe fotus.

Balsamum album elicitur, cortice inciso, parca quantitate, quod solidescens, acceptaque per moram fragilitate sub nomine balsami peruviani sicci s. opobalsami sicci venit. Nigrum vero, coctione concisorum corticum, truncorum, et surculorum cum aqua, obtinetur.

In alcohole vini et oleo vitrioli perfecte solvitur, non vero in oleis expressis et pinguedine animali.

BARDANAE radix. *Arctium Lappa.* L. cl. XIX. Ord. Polyg. aequal. Planta biennis, ad vias, et locis ruderatis frequens.

Odor vix ullus.

Sapor subdulcis, subamarus, austerus.

Virtus mundificans, diuretica.

Usus. Tumores arthritici, rheumatici, ulcera crurum antiqua, morbi venerei, sabulum renum, et vesicae, lochia movenda.

Dosis. Uncia una cum libra una aquae ad remanentiam unciarum octo decoctum.

Folia recentia cum maximo successu ulceribus applicantur.

BELLADONNAE folia, radix, quae optima est biennis. *Atropa Belladonna.* L. cl. V. Ord. Monogyn. Planta perennis in Rossia temperata.

Odor radicis, loco umbroso aëre non perflato siccatae, vix ullus.

Sapor acriusculus, subnarcoticus.

Virtus sudorifera, subnarcotica, resolvens, antispasmodica.

Usus. Rabies canina, cancer, epilepsia, chorea S. Viti, scirrhus, melancholia, mania, hemiplegia serosa; Foliorum vis, et usus, radici consimilis.

Dosis. Radicis grana quinque, ad duodecim, adulto; infanti granum unum, ad sex in aqua frigida; Foliorum adulto grana duo, quatuor, ad octo; infanti a quarta grani parte, ad granum dimidium, duo, et tria. Scrupulus unus siccatorum foliorum ad uncias decem aquae ferventis, quod infusum per diem cochleatim exhauritur.

Externe cataplasma.

Folia tempore suo lecta, siccentur ut ipsa radix; et seorsim caute serventur. Contra Belladonnae deleterios effectus maximum est antidotum acetum, emeticum, lac tepidum.

BENZOE s. BENZOINUM GUMMI, seu ASA DULCIS. *Styrax Benzoin.* Dryander. *Laurus*

Benzoin. L. cl. X. Ord. Monogyn. Arbor copiose in insulae Sumatrae partibus septentrionalibus, et media parte, crescens.

Odor fragrans, gratusque, inter dentes friabilis, sed in ore non solubilis.

Sapor subdulcis, resinosus, et balsamicus. Vid. Flores Benzoes Part. II.

Dantur praecipue tres species Benzoes, quarum una alba Camayan Poeti, vel Benzoinum album, vel Cabessa, quae omnino alba est. Altera albis quibusdam maculis quasi oculis instructa Camayan Bamatta, seu Benzoe amygdaloides, dicitur.

Tertia Camayam itam s. Benzoinum nigrum, quae valde impura est.

BERBERIS baccae, cortex medius, *Berberis vulgaris.* L. cl. VI. Ord. Monogyn. Frutex albus ad sepes, in sylvis crescens, et in hortis colitur.

Odor corticis nullus.

Sapor intense amarus, masticatione saliva fit crocea.

Odor baccarum recentium nullus.

Sapor intensius acidus.

Virtus corticis recentis roborans. Baccarum refrigerans, antiseptica.

Usus Corticis. Aphtae, icterus; baccarum. Scorbutus, febres omnes, inprimis putridae, diarrhoea biliosa.

Dosis. Corticis uncia una sub forma infusi cum aqua; succi baccarum ad unciam unam.

BISTORTAE radix. *Polygonum Bistorta.* L. cl. VIII. Ord. Trigyn. Planta perennis in temperatis Rossiae, et Sibiriae, occupat prata humida.

Odor recentis in Nasturtium incidens; siccae vero nullus.

Sapor intensius stypticus.

Virtus adstringens, roborans.

Usus. Dentes vacillantes, stomacace, dysenteria, leucorrhoea, gonorrhoea, profluvia alvi, haemorrhagiae.

Dosis. In pulvere raro ad scrupulum unum, vel drachmam dimidiam exhibetur; sed ex drachma una et dimidia radicis cum aquae unciis sex ad uncias quatuor fit decoctum, ex quo etiam fotus, et iniectiones.

BORAX est sal neuter, ex acido proprio, et alcali fossili constans. *Borax Tincal.* L. cl. II. Ord. Minerae; Salia. Ex India orientali adfertur, et in Venetiis, nec non in Batavia depuratur, et crystallos multilateres pellucidos exhibet.

Odor nullus.

Sapor lixiviosus.

Virtus abstergens, resolvens, incidens.

Usus. Maculae corneae, apthae oris, scabies, tumores haemorrhoidales.

Dosis. Drachma dimidia Boracis cum cremore tartari aqua soluta, et melle edulcorata cochleatim exhibetur.

Externe collyria, lotiones.

BOTRYOS VULGARIS, herba. *Chenopodium Botrys.* L. cl V. Ord. Digyn. Planta annua in australibus Rossiae, ad Volgam, et Ural fluvios spontanea.

Odor herbae recentis fragrans, fortis, graviusculus, balsamicus, non ingratus.

Sapor odori congruens, aromaticus.

Virtus resolvens, antispasmodica, anthelmintica, carminativa.

Usus. Hysteria, tussis convulsiva, asthma, vermes.

Dosis. Drachma una pulveris; drachmae duae cum aquae unciis tribus, infusum.

Fortior efficaciorque est Chenopodio ambrosioide L.

CACAO fructus s. nucleus; Oleum s. butyrum. *Theobroma Cacao.* L. cl. XVIII Ord. Pentandr. Arbor Americae meridionalis locis depressis umbrosis propria.

Odor vix ullus.

Sapor nuclei est gratus, oleosus, leniter subadstringens, amaricans.

Odor olei gratus.

Sapor blandus, subdulcis.

Virtus emolliens, relaxans.

Usus Olei. Excoriationes, fissurae labiorum, papillarum, mammae, ani, haemorrhoides, ardor et dolor intra anum, instar suppositorii.

Ad instrumenta chirurgica contra rubiginem et

aeruginem defendenda, nulla pinguedo aptior hacce, si eadem obliniuntur.

Nuclei, pro diversitate loci, in varias species distinguuntur, sed praestantissimae earum sunt nuclei Caracenses, qui in provincia Nicuragua novae Hispaniae bene maturi colliguntur.

CAJEPUT, seu CAJUPUT oleum. *Melaleuca Leucadendron.* L. cl. XVIII. Ord. Polyandr. Arbor Indiae, aliarumque insularum Moluccarum montibus frequens.

Odor camphoraceus cum aliqua odoris therebintinacei miscela, qui, si copiosius, et fortius nares ferit, initio est ingratus; minori autem copia valde gratus.

Sapor multum aromaticus, momento contactus linguae sensum frigoris imprimit.

Virtus calefaciens, stimulans, antispasmodica.

Usus. Morbi spastici, convulsivi, catalepsia, Chorea St. Viti, Rheumatismus, paralysis, vomitus gravidarum, otalgia, odontalgia.

Dosis. Guttulae duae, tres, sex, ad duodecim, ter, quater, de die cum saccharo, seu vino, seu liquore anodyno exhibentur.

CALX VIVA. *Marmoris* L. variae species calcinatae. Copiosissimus eius in Rossia proventus.

Odor nullus.

Sapor causticus.

Virtus corrosiva, venenata.

Usus. Varia praeparata.

Calx e testis ostrearum praefertur.

CAMPECHENSE LIGNUM. *Haematoxylum campechianum.* L. cl. X. Ord. Monogyn. Arbor in America calidiori, ad sinum Campeche regni Mexicani copiose crescit.

Odor vix ullus.

Sapor dulcescenti-amaricans, leniter stypticus.

Virtus adstringens.

Usus. Diarrhoea, et dysenteria.

Dosis. Extracti aquosi drachma una cum uncia una aquae menthae crispae.

CAMPHORA est resina volatilis sui generis, a *Lauro Camphora.* L. cl. IX. Ord. Monogyn. Arbor Japoniae, et Javae propria.

Odor fragrantissimus, penetrans, ad Rosmarinum accedens.

Sapor calidissimus, ut Menthae piperitidis, amaricans, linguam faucesque penetrans.

Virtus calefaciens, cardiaca, resolvens, sudorifera, antiseptica, antispasmodica, anthelmintica.

Usus. Febres putridae, nervosae, puerperarum scarlatina subito retrograda, pestis, gangraena, tam sicca, quam humida, erysipelas, variolae putridae, etiam morbilli, eclampsia infantum ex refrigerio, seu alia causa, delirium, anxietas febrilis, rheumatismus, asthma convulsivum chronicum, mania, melancholia, furor uterinus, vermes, involuntarium seminis profluvium.

Dosis. A grano uno, ad quinque, decem, quindecim et ad drachmam unam. Pro externo usu, nisi sufficiat inspersio camphorae, tunc solvitur illa, vel in oleo expresso, vel mucilagine gummi arabici, vel vitello ovi, vel aceto, vel spiritu vini.

CANNABIS semina. *Cannabis sativa.* L. cl. XXI. Ord. Pentandr. Planta annua colitur ubique in agris.

Odor vix ullus.

Sapor subfatuus.

Virtus emolliens, involvens, anodyna.

Usus. Gonorrhoea, leucorrhoea, icterus, dysuria inflammatoria.

Dosis. Seminum uncia dimidia, cum aquae unciis quatuor in emulsione; vel cum unciis sex aquae in infuso datur; itidem semina contusa, et cum lacte cocta, cataplasma emolliens constituunt.

CANTHARIDES. *Meloë vesicatorius. Litta vesicatoria.* L. cl. V. Ord. Insecta. Coleoptera. In Rossia temperata, praecipue districtu Samarskoy, et vicino illi Sergievskoy, ad Fraxinum, Loniceram tataricam, aliasque plures arbores occurrunt.

Odor et *Sapor* nauseosus, teterrimus, piceus.

Virtus irritans, rubefaciens, vesicans, exulcerans, absorpta resolvens. In exigua dosi diuretica, diaphoretica.

Usus. Interne; Rabies canina, ischuria frigida,

seu paralytica, enuresis, hydrops, gonorrhoea chronica. Externe, ulcera cacoëthica, paralysis, asthma, morbi cutanei chronici.

Dosis. Granum unum in pilulis; sive sub forma tincturae.

Externe in emplastris.

CARDAMOMI MINORIS fructus. *Amomum Cardamomum.* L. cl. I. Ord. Monogyn. Planta perennis Indiae orientalis, nominatim Iavae, crescens locis paludosis.

Odor fragrans.

Sapor grate aromaticus, amaricans, subcamphoraceus.

Virtus excitans, calefaciens, stomachica, diaphoretica, subantispasmodica.

Usus. Languor ventriculi, colica flatulenta.

Dosis. A granis duobus, quatuor, ad sex. Purgantibus apte admiscetur, ne tormina cieantur.

Variae Cardamomi numerantur species, ut: C. C. maius, C. medium s. Zeylanicum, C. minus s. Malabaricum, quod superat vi reliquas.

CARDUI BENEDICTI herba. *Centaurea Benedicta.* L. cl. XIX. Ord. Polyg. Frustran. Planta annua in hortis nostris medicis copiosa colitur.

Odor ingratus, quem sicca facile perdit.

Sapor intense amarus, non nauseosus, inhaerens.

Virtus antacida, corroborans, stomachica, sudorifera, anthelmintica, diuretica.

Usus. Anorexia, cachexia, arthritis, febres intermittentes, obstructiones viscerum, icterus.

Dosis. Drachmae duae cum aquae unciis quatuor infusum.

Herba raro usurpatur, cuius infusum aqua frigida brevi tempore factum gratam, diuturniori autem aquae super planta statione ingratam amaritiem, prae se fert; at eius decoctum fortius est valde nauseosum; Extractum eius aquosum optimum esse censetur.

CARDUI TOMENTOSI herba recens. *Onopordon Acanthium.* L. cl. XIX. Ord. Polygam. aequal. Planta biennis in Rossia australi spontanea, et septentrionali, in hortis colitur.

Odor nullus.

Sapor amaricans.

Virtus anticancrosa.

Usus. Succus expressus linteo filatim carpto exceptus carcinomati faciei, felici cum successu applicatur.

CARICAE PINGUES. *Ficus Carica.* L. cl. XXI. Ord. Trioec. Arbor in provincia Astrachanensi ad Terek fluvium colenda.

Odor recentium vix ullus.

Sapor dulcis, in cucumerinum leniter incidens; masticata bacca mucilaginosa.

Odor siccarum subunguentaceus.

Sapor dulcis, melleus, gratus.

Virtus nutriens, emolliens, lubricans, maturans, pectoralis, blande resolvens, dacty-

los, passulas, iuiubas superfluas omnino reddens.

Usus. Tussis, raucedo, nephritis, stranguria, angina, colica saturnina, furunculus, abscessus.

Dosis. Uncia una cum aquae libra una ad uncias octo decoctum; cataplasma; collutorium.

Repudiandae sunt caricae durae insectis erosae, colorisque profundi.

Succus foliorum expressus verrucas delet.

CARICIS ARENARIAE radix. *Carex arenaria.* L. cl. XXI. Ord. Triandr. Planta perennis per totam Rossiam, spontanea, in sabuletis circa Wolgam copiosissima.

Odor recentis non fortis, sed gratus, et sub tali acrimonia, nares vellicans.

Sapor farinaceus, dulcescens simul balsamicus.

Virtus involvens, resolvens, demulcens.

Usus. Pituita asperam arteriam gravans, affectiones rheumaticae et arthriticae, purpura chronica.

Dosis. Uncia una ad libram aquae decoctum. Huius efficaciae est *Carex Disticha* L.

CARVI semina, *Carum Carvi* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta biennis in temperatis Rossiae spontanea.

Odor grate aromaticus.

Sapor aromaticus, moderate calidus, satis gratus.

Virtus. discutiens, carminativa, lactifera.

Usus. Colica flatulenta, febris tertiana, lactis subitanea evanescentia.

Dosis. Drachmae duae cum aquae, aut iuris unciis sex infunduntur.

CARYOPHYLLI AROMATICI sunt flores nondum expansi prius fumo per aliquot dies expositi, et dein sole exsiccati. Dum Caryophylli ad maturitatem usque in arbore relinquuntur, Anthophylli dicuntur. *Caryophyllus aromaticus.* L. cl. XIII. Ord. Monog. *Eugenia caryophyllata.* Thunberg. Arbusculum sponte crescit in nova Guinea, pluribusque insulis adiacentibus.

Odor Caryophyllorum fortis, gratus, peculiaris, qualis floris Dianthi caryophylli.

Sapor aromaticus, fortis, calidus, acriusculus, subamaricans, fauces, linguamque calefaciens halitu fragrantissimo.

Virtus calefaciens, tonica, stomachica, emmenagoga, confortans.

Usus. Languens ventriculus. Oleum destillatum.

Dosis. A granis duobus, ad grana decem cum saccharo; drachma una et dimidia cum aquae aut vini unciis tribus infusum, quod cochleatim exhibetur.

Anthophylli curiositatis fere causa in officinis servantur. Caryophyllorum oleum destillatum denti dolenti gossypio inditum sedat dolorem et cariem. Hoc oleo, cum unguinosis mixto, membra paralytica feliciter fri-

cantur; Simili etiam excipiente illud, ad ventriculum roborandum, in colica flatulenta, diarrhoea abdòmini inungitur.

CARYOPHYLLATAE seu GEI URBANI radix. *Geum urbanum* L. cl. XII. Ord. Polygyn. Planta perennis vulgatissima per Rossiam ad sepes, et in umbrosis.

Odor siccae nullus, recentis caryophyllaceus.

Sapor stypticus, amarus.

Virtus adstringens, tonica, sudorifera, antiseptica, febrifuga, praestans corticis peruviani succedaneum.

Usus. Atonia, diarrhoea, dysenteria, fluor albus, haemorrhagiae, affectiones hystericae, colicae flatulentae, tussis convulsiva, ulcera scorbutica, fistulae, laxitas gingivarum, febres intermittentes.

Dosis. Radicis pulveratae grana triginta, vel quadraginta, ad drachmam unam; unciae duae radicis in aquae libris duabus ad consumtionem quartae partis decoctum.

Radix, Aprili, s. Maio, effossa probe custodiatur.

CASCARILLAE cortex. *Croton cascarilla* L. cl. XXI. Ord. Monadelph. Frutex in Iamaica, et insulis Bahamicis, Floridae vicinis, obvius.

Odor aromaticus, non ingratus.

Sapor aromaticus, amaricans, accensus cortex fumum moschatum temulentum edit.

Virtus tonica, stomachica, diaphoretica.

Usus. Diarrhoea, dysenteria, debilitas, alvique laxitas.

Dosis. A granis decem, ad viginti, vel triginta, in pulvere; drachma una cum vini unciis sex infusum; externe suffitus.

CASSIAE LIGNEAE cortex. *Laurus cassia.* L cl. IX. Ord. Monogyn. Arbor Indiae orientalis et Malabariae propria.

Odor Cinnamomeus, debilis.

Sapor gratus, dulcescens, cinnamomeus, debilior, vix acris; masticando, seu coquendo, mucilaginosus fit.

Virtus excitans, resolvens, pellens, sudorifera.

Usus. Debilitas, vomitus.

Dosis. Drachma dimidia pulveris; drachma una cum aquae aut vini unciis sex infusum.

Mucilago eius praecipuum discrimen a Cinnamomo efficit.

CASTOREUM sunt folliculi Castoris ad utrumque eius urethrae latus prope praeputium haerentes, unde exempti, et infumatione contra corruptionem defensi, substantiam siccam, sed non aridam, quae semper est reiicienda, continent. *Castor Fiber.* L. cl. I. Ord. Glires. E Sibiria venit.

Odor graveolens.

Sapor amaricans.

Virtus carminativa, antispasmodica, nervina, anodyna, emmenagoga.

Usus. Hysteria, colica flatulenta, vertigo, epilepsia, apoplexia, lethargus.

Dosis. Grana quatuor, ad decem, et viginti, cum Valeriana in pulvere. In clysmate ad drachmam integram.

CENTAUREI MINORIS herba. *Gentiana centaureum.* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta annua in Rossia temperata spontanea.

Odor debilis, vix ullus.

Sapor amarissimus.

Virtus tonica, resolvens, anthelmintica.

Usus. Atonia, cachexia, arthritis, icterus, febris tertiana, obstructio viscerum, scabies, ulcera sinuosa, et fistulosa.

Dosis. Drachmae duae cum aquae unciis quatuor infusum.

CEPAE radix. *Allium cepa.* L. cl. VI. Ord. Monogyn. Planta perennis in tota Rossia hortensis.

Odor fragrans, alliaceus, graveolens.

Sapor subdulcescens, acris; recens rescissa radix oculos volatili suo principio ferit, et lacrymas elicit.

Virtus stimulans, maturans, rubefaciens, diaphoretica, diuretica.

Usus. Abscessus, tumores maturandi, retentio lotii, hydrops, calculus, condylomata callosa, scorbutus.

Dosis. Numero tres, cum iuris libra una decoctum; cataplasma; succi unciae duae cum tantillo sacchari.

CERA apum. Est substantia tenax, ab *Ape mellifera.* L. cl. V. Ord Hymenoptera, ex antherarum polline collecta, elaborata et in favos una cum melle reposita, et ex favis, melle expresso, ope ignis et aquae eliquatur, et in varios panes efformatur. Habetur cera citrina, s. flava, quae naturalis molliorque est; et cera alba, quae iterata lotura ad solem albescit, et fragilior inodoraque evadit.

Odor et *Sapor* cerae citrinae melleus.

Virtus emolliens, plastica.

Usus, Emplastra, cerata, candelulae, et spongiae ceratae.

CERASORUM RUBRORUM ACIDORUM fructus. *Prunus cerasus.* L. cl. XII. Ord. Monogyn. Arbor per Rossiam australem in hortis frequentissima.

Odor nullus.

Sapor dulcis, acidus.

Virtus refrigerans, antiseptica, blande resolvens, largiori copia alvum lubricans, et lotium pellens.

Usus. Febris acuta, scorbutus, colluvies biliosa, obstructiones viscerum, mania.

Dosis. Cerasorum exsiccatorum unciae duae cum aquae libra una, ad uncias octo, decoctum.

CEREFOLII s. CHAEROPHYLLI herba, succus. *Scandix cerefolium.* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta annua in tota Rossia hortensis.

Odor recentis gratus, balsamicus, debilis, nisi fricetur.

Sapor aromatico-balsamicus, ad foeniculum accedens.

Virtus aperiens, pectoralis, diuretica, lactifera.

Usus. Tussis inveterata, scabies, herpes, asthma, hydrops, febres lentae, indurationes mammarum, et aliarum glandularum infarctus, icterus.

Dosis. Herbae recentis uncia una in sero lactis calide infunditur; vel succi eius unciae duae cum sero lactis mane ac vespere dantur.

CERUSSA. Est plumbum, vapore aceti in calcem albam versum, sub forma lamellarum friabilium, quae est sincerrima et praefertur illi, quae sub forma panum conoideorum charta involutorum prostat, quaeque dicitur vel Veneta, vel Belgica. Variis Rossiae in locis, etiam Petropoli, praecipue in urbe Jaroslaul conficitur.

Odor cretaceus.

Sapor adstringens.

Virtus exsiccans, discutiens.

Usus. Varia praeparata.

CHAMAEDRYOS herba. *Teucrium chamaedrys.* L. cl. XIV. Ord. Gymnosp. Planta perennis in Rossia australi spontanea.

Odor subfragrans.

Sapor amarus.

Virtus incidens, roborans, tonica, emmenagoga.

Usus. Arthritis, cachexia, asthma, tussis inveterata, hypochondriacae affectiones, mensium suppressio, chlorosis.

Dosis. Drachma una cum aquae unciis quatuor infusum.

Veronica Chamaedrys non est substituenda Teucrio chamaedri.

CHAMAEMORI baccae. *Rubus chamaemorus.* L. cl. XII. Ord. Polyg. Planta perennis in Rossia septentrionali et Sibiria frequens.

Odor vix ullus.

Sapor grato - acidulus.

Virtus refrigerans, sitim exstinguens, praestans panacea scorbuticorum.

Usus. Febres, scorbutus, phthisis, haemoptoe.

Dosis. Baccae pro lubitu crudae, vel conditae comeduntur.

CHAMAEPITYOS herba. *Teucrium chamaepitys.* L. cl. XIV. Ord. Gymnosperm. Planta annua in Rossiae australis, glareosis, arenosisque campis, circa Volgam, Simbirsk, usque ad Kamyschensk frequens.

Odor fragrans.

Sapor amarus, aromaticus in Rosmarinum incidens.

Virtus, Usus, Dosisque Chamaedryos.

CHAMOMILLAE VULGARIS flores, herba. *Matricaria chamomilla.* L. cl. XIX. Ord. Polygam. superfl. Planta annua in Rossia australi spontanea.

Odor florum fragrans, gratus, fortis.

Sapor amarus, calidiusculus.

Virtus discutiens, antiseptica, stomachica, resolvens.

Usus. Febres intermittentes, colica flatulenta, spasmodica, nephritica, tormina, flatus, dysenteriae, cardialgia, varii dolores post partum.

Dosis. Florum uncia dimidia cum aquae bullientis unciis octo infusum. Externe in sacculis siccis, vel humectatis; sive cataplasmate, clysmate, balneo, pediluvio.

CHAMOMILLAE ROMANAE flores. *Anthemis nobilis.* L. cl. XIX. Ord. Polygam. superfl. Planta annua in tota Rossia hortensis.

Odor fragrans, balsamicus, gratus.

Sapor aromatico-amaricans, calidiusculus.

Virtus, Usus, Dosisque praecedentis.

Non pleni flores, sed cum disco eorum a Pharmacopolis eligantur.

CHELIDONII MAIORIS radix, herba recens. *Chelidonium maius.* L. cl. XIII. Ord. Monogyn. Planta perennis locis ruderatis, umbrosis, et ad sepes copiosissima.

Odor graviusculus.

Sapor acris, subamaricans, inhaerens.

Virtus recentis acris, purgans, abstergens, siccae aperiens, diuretica.

Usus. Obstructio viscerum, icterus sine febri, hydrops.

Dosis. Radicis recentis drachmae quatuor, seu exsiccatae drachmae duae, cum aquae, seu iuris libra una ad uncias sex decoctum, quod per intervalla cochleatim exhibetur; succus ex foliis, vel ex tota herba expressus, ad aliquot guttulas, aliquoties de die, in commodo vehiculo, propinatur, quique externe verrucas, herpetes, pterygium delet. Extracti scrupulus unus, ad duos.

CHINAE CORTEX, CORTEX PERUVIANUS.

Cinchona officinalis. L. cl. V. Ord. Monogyn. Arbor procera, in regni Peruviani praefecturae Quito montibus copiosa, tractum ultra quinquaginta milliaria extensum occupans. Optimus est ille cortex, qui ex gracilioribus ramis est convolutus, modice crassus, attamen ponderosus, externe scaber, fuscus aut nigricans vel griseus, interius vero colorem cinnamomeum, vel paulo obscuriorem prae se fert, fractus non in fibras lignosas discerpitur, vel in farinam cariosam dilabitur, et in fragmentis eius puncta splendentia apparent.

Odor aliquantum mucidus.

Sapor amarus, modice adstringens cum vestigiis mitis aromatis.

Virtus antiseptica, febrifuga, roborans, stomachica.

Usus. Febres intermittentes, continuae ex intermittentibus natae, remittentes perniciosae, nervosae, putridae, pestis, variolae, et morbilli mali moris, morbi periodici, sudores

colliquativi, raucedo post morbillos, phthisis, hydrops, haemoptysis, tabes dorsalis, affectiones convulsivae, tussis convulsiva, haemorrhagiae ex causa putrida, icterus, arthritis, gangraena, caries, cancer et spina ventosa.

Dosis. A scrupulo uno, ad drachmam unam supraque; uncia una cum aquae libra una, ad uncias octo decoctum; vel pulveris subtilissimi uncia una cum aquae unciis octo frigidae per viginti quatuor horas infusum, quae vasculatim propinantur. Tripla dosis in clysmate.

Indicatur bonitas corticis sequenti experimento: coquitur eius portio in tantillo aquae, deinque in ampullam infunditur; quodsi tum decoctum quamdiu calidum est, rubicundum apparet, sed ut primum refrixerit et sedimentum deiecerit, pallidum, bonae notae est.

CHINA RUBRA, CORTEX PERUVIANUS RUBER. Ex truncis, et ramis crassioribus eiusdem arboris, quae corticem vulgarem erogat, detrahitur.

Odor nullus.

Sapor amaritie vulgari cortici antistans.

Virtus praestantior cortice chinae vulgaris.

Usus, *Dosisque* praecedentis.

CICHOREI radix, herba. *Cichoreum intybus.* L. cl. XIX. Ord. Polygam. aequal. Planta perennis in Rossia temperata spontanea et in hortis colitur.

Odor herbae recentis nullus.

Sapor grate amaricans.

Odor radicis recentis nullus.

Sapor intensius amaricans.

Virtus aperiens, tonica, diuretica, antiscorbutica.

Usus. Scorbutus, obstructio hepatis, icterus.

Dosis. Radicis exsiccatae uncia dimidia cum aquae libra una, ad uncias octo decoctum; vel succi recentis unciae duae cum iusculi libra una.

Radix eligatur carnosa, et reiiciatur lignosa.

CICUTAE, seu CONII MACULATI herba; Succus inspissatus. *Conium maculatum.* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta biennis in Rossia temperata crescens.

Odor foetidus, murinus, deficiente hoc odore, planta ut inefficax, reiicienda est.

Sapor leniter aromaticus, subnauseosus.

Virtus resolvens, anodyna, suppurationem promovens, diuretica.

Usus. Scrophulae, ulcera sordida et syphilitica, cancer scrophulosus, scabies maligna, fistulae, fluor albus, arthritis, rheumatismus chronicus, cataracta incipiens, icterus pertinax, spina ventosa, tussis convulsiva, ozaena, polypus narium.

Dosis. Pulveris herbae, a granis tribus ad scrupulum unum cum saccharo; Extracti a grano uno, ad scrupulum de die datur.

Tres in re medica notandae veniunt Cicutae;

Cicuta maior, seu Conium maculatum; Cicuta aquatica, seu Cicuta virosa; Cicuta minor, seu Aethusa cynapium. Haeque species probe inter se distinguendae sunt.

In collectione Conii maculati cave ne confundas cum *chaerophyllo bulboso* L. *aethusa cynapio* L. et *phellandrio* L.

CINERES CLAVELLATI. Est sal alcalinus vegetabilis, fixus, impurus, in massam variae magnitudinis inspissatus, ex cineribus vegetabilium paratus, quique certo modo depuratur.

Odor nullus.

Sapor lixiviosus.

Virtus. Vide cineres clavellatos depuratos P. II.

CINNAMOMI Cortex; Cassiae flores. *Laurus cinnamomum.* L. cl. IX. Ord. Monogyn. Arbor, quoad corticem, praestantissima, in Zeylona habitat.

Odor gratissime aromaticus.

Sapor dulcescens, suavissimus, moderate pungens cum levi adstrictionis sensu.

Virtus analeptica, excitans, stimulans, stomachica, carminativa.

Usus. Debilitas ventriculi, flatus, vomitus.

Dosis. Scrupulus unus ad drachmam dimidiam pulveris; drachma una cum aquae, aut vini unciis sex infusum.

Flores Cassiae ita dicuntur flores Lauri cassiae L., nondum perfecte explicati, odore, saporeque cinnamomum aemulantur, cum ad-

stringente quodam sensu, sed non adeo manifesto.

Virtus ut in cortice.

CITRI Malum, ex quo caro, seu pulpa; succus expressus; cortex, cuius exterior pars flavedo, interior vero albedo vocatur. *Citrus medica.* L. cl. XVIII. Ord. Icos. Arbor in Media, et Persia spontanea, in Rossiae vero caldariis colitur.

Odor flavedinis recentis fragrans, gratissimus.

Sapor aromaticus, calidiusculus, subamarus.

Odor pulpae debilis, gratus.

Sapor intensius acidus purus.

Virtus flavedinis calefaciens; cardiaca, stomachica; pulpae refrigerans, antiscorbutica, diuretica; florum analeptica.

Usus Flavedinis. Atonia, flatus, condimentum cibi et medicaminum. Pulpae; febres phlogisticae, biliosae, putridae, scorbutus calidus, stomacace, calculus, colica biliosa, palpitationes cordis hystericae.

Dosis. Succi expressi uncia una in julepo datur cum saccharo; corticis citri exsiccati uncia dimidia ex aquae unciis octo ad uncias sex decoctum, a drachma dimidia ad duas pulvis.

Oleum de cedro vulgo, essentia limonum est oleum aethereum, quod ex utriculis flavae corticis mali citrei partis, varia encheiresi elicitur.

COCHLEARIAE herba recens. *Cochlearia*

officinalis. L. cl. XIV. Ord. siliculosa. Planta annua ubique hortensis.

Odor subnasturcinus, debilis.

Sapor amaricans, os et fauces mordens.

Virtus antiscorbutica, aperiens, diuretica.

Usus. Scorbutus, ex eoque gingivarum affectiones, paralysis.

Dosis. Uncia dimidia, vel integra quotidie crude comeditur, vel cum Acetosellae connubio; vel eadem quantitas cum iuris libra una ad uncias decem decoquitur; vel in electuario datur; vel externe succus tantillo aluminis mistus, ad exulcerationes oris scorbuticas applicatur.

In longum tempus servatur herba per strata in magnis vasis condita.

COLCHICI radix recens. *Colchicum autumnale.* L. cl. VI. Ord. Trigyn. Planta perennis circa Terek, et in aliis locis in pratis argillaceis copiosa.

Odor recentis tempore aestivo hircinus.

Odor recenter resectae irritans nares faucesque feriens.

Sapor acris.

Virtus diuretica, drastica.

Usus. Hydrops, complicatus, hydrocele, hydrophthalmus, asthma.

Dosis. Sub forma oxymellis colchici, cuius drachma una bis, per diem, in vasculo infusi cuiusdam, sensim ad unciam unam, sive sesquialteram ascendendo.

Radix annotina, emarcida, et exsucca, reiicienda est, ovata, nucis iuglandis subinde magnitudinis, fovea, et crista laterali sursum instructa, interne alba, unice pro usu servanda est, sed existente radice squillae hac feliciter carere possumus.

COLLA PISCIUM. *Ichthyocolla.* Est gluten ex variis membranis internis, aliisque partibus paratum, praecipue ex Acipenserum *Sturione stellato.* L. cl. III. Ord. Amphibia. In fluviis Rossiae australis, et Sibiriae.

Odor nullus.
Sapor glutinosus.
Virtus glutinans.
Usus. Emplastra adhaesiva, ut Anglicanum.

COLOCYNTHIDIS pulpa. *Cucumis colocynthis.* L. cl. XXI. Ord. Syngenes. Planta annua in Archipelago, et oriente crescens.

Odor pulpae debilis, nauseosus.
Sapor amarissimus, acriusculus.
Virtus purgans cum torminibus, drastica, abortiva.
Usus. Affectiones soporos e, hydrops, vermes.
Dosis. Granum unum, duo, quinque cum gummi arabico in pulvere. Extracti aquosi a granis duobus ad sex.
Purgans est drasticum, usui externo clysmatico potius, et nunquam interno dicatum.

COLUMBO radix. Habitat in continente Asiae, et in urbe Columbo Zeylonae.

Odor frictae radicis aromaticus.

Sapor ingrate amarus, modice pungens.

Virtus antiseptica, roborans.

Usus. Cholera, vomitus pertinaces, affectiones ventriculi, nausea gravidarum, alvi profluvia effrena, et febres biliosae.

Dosis. A granis quindecim, ad drachmam unam, omni trihorio cum aqua menthae simplicis.

Progressu temporis amarities minuitur, et facile haec radix cariosa evadit.

CONTRAIERVAE radix. *Dorstenia dracena.* L. cl. XV. Ord. Monogyn. Planta perennis in nova Hispania crescens.

Odor fragrans, gravis.

Sapor subamaricans.

Virtus antiseptica, sudorifera, alexiteria, roborans, resolvens.

Usus. Febris lenta nervosa, exanthemata retropulsa, angina putrida, virium prostratio, dysenteria.

Dosis. Scrupulus unus ad drachmam dimidiam in pulvere; vel, in infuso ad drachmam sesquialteram.

Decoquendo aliquid virium perdit.

CORIANDRI semen. *Coriandrum sativum.* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta annua in Rossia temperata hortensis.

Odor recentis graveolens, foetidiusculus.

Odor sicci aromaticus, graviusculus subgratus.

Sapor gratus aromaticus.

Virtus recentis suspecta, subnarcotica, sicci carminativa, lactifuga, hypnotica.

Usus. Hysteria, tertiana, flatus, languor stomachi.

Dosis. Drachma una pulveris, drachmae duae ad quatuor cum aquae, aut vini unciis sex infusum.

CRETA ALBA. *Calx creta.* L. cl. III. Ord. Fossilia. Terrae. In Rossia australi, et Sibiria.

Odor nullus.

Sapor terreus.

Virtus absorbens, exsiccans.

Usus Acidum spontaneum, soda, aër fixus factitius.

CROCI stigmata. *Crocus sativus officinalis.* L. cl. III. Ord. Monogyn. Planta perennis spontanea in montibus Caucasi, aliisque Persicis in montibus, et vallibus, inde a Crimmia antiqua, usque ad Balaclava.

Odor fragrans, similis alcali volatili urinoso, mediocriter aromaticus.

Sapor aromaticus, subamaricans.

Virtus nervina, resolvens, antiseptica, antispasmodica, emmenagoga, diuretica.

Usus. Mensium suppressio, lochia retenta, tussis, vomitus, affectiones spasticae.

Dosis. Grana decem, ad viginti, in pulvere; externe scopo resolvendi, abscessus maturandi, quando nimirum stimulus inflammationi addendus est, vel dolores mitigandi,

adjicitur sacculis, cataplasmatibus, collyriis, unguentis, emplastris variis.

Crocus genuinus, et probus, coloris rutili esse debet, nec siccus, nec humidus nimis, texturae tenacioris, et in placentas firmiores compactus, quae diremtae eundem colorem in intimis, ac in superficie prae se ferant, perit etiam vis aetate, unde annua instructus praestantior, nec diu contritus ob hanc jacturam servari debet. Optimus est ab oriente, sive ab Austria denominatus.

CUMINI seu Cymini semina. *Cuminum cyminum.* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta annua in Rossia australi hortensis.

Odor fortis gravis aromaticus.

Sapor calidus, amaricans, ingratus.

Virtus discutiens, carminativa, diuretica, emmenagoga.

Usus. Colica flatulenta, hysteria, tympanitis, tumores frigidi.

Dosis. Drachma una pulveris; drachmae tres clysma.

CUPRUM, AES, VENUS. *Cuprum nativum.* L. cl. II. Minerae. Metalla. Nerczinsk indigenum.

Odor proprius, si manu teratur.

Sapor metallicus, valde nauseosus, vix ex ore et lingua delendus.

Virtus corrosiva.

Usus. Praeparata.

CURCUMAE LONGAE radix. *Curcuma longa.* L. cl. I. Ord. Monogyn. Planta perennis Indiae orientalis, praecipue Amboinae, Malabaris, Zeylonae civis.

Odor subfragrans quasi unguentaceus.

Sapor amaricans, subacris, et calorem mitem in ore excitans.

Virtus aperiens, diuretica.

Usus. Icterus, obstructio viscerum, suppressio menstruorum, hydrops, febris intermittens.

Dosis. A scrupulo uno ad drachmam integram in pulvere aliquoties de die; vel in infuso; vel decocto ad drachmas duas.

Pro diversa solum figura, in officinis, vel nomine radicis Curcumae rotundae, vel Curcumae longae dicitur; usitatior tamen est in universum Curcuma longa, sed et haec parcissime hodie aegris praecipitur.

CYDONIORUM fructus, semina. *Pyrus cydonia.* L. cl. XII. Ord. Pentagyn. Arbor ad fluvium Terek spontanea, in Ucrania hortensis.

Odor pomi fragrans.

Sapor adstringens, acidulus, vinosus.

Odor seminum nullus.

Sapor mucilagineus.

Virtus pomi refrigerans, restringens, antiputredinosa; seminum, obvolvens, leniens.

Usus Pomi. Morbi bilioso-putridi, saburra rancida; seminum externe, ambusta, fissurae, ophthalmiae, tenesmus, haemorrhoides coecae, aphtae.

Dosis. Succus fructus cochleatim.

Ex seminum drachma una cum aquae calidae unciis sex obtinetur mucilago.

DAUCI VULGARIS, seu sativi radix. *Daucus carota* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta biennis in tota Rossia fera et hortensis.

Odor radicis recentis aromaticus, non ingratus.

Sapor dulcescens, leniter aromaticus.

Virtus nutriens, aperiens, anticancrosa, diuretica, anthelmintica.

Usus. Cancer scrophulosus, lumbrici, aphtae, stranguria, tussis, phthisis, recens ambustio, ulcera cacoëthica.

Dosis. Succus cochleatim, seu sub forma decocti, seu cataplasmatis.

DICTAMNI ALBI radix. *Dictamnus albus.* L. cl. X. Ord. Monogyn. In Sibiria. Planta perennis in australibus Rossiae et Sibiriae spontanea.

Odor recentis fortis, hircinus; sicci levis.

Sapor recentis debilis, amarus et aromaticus.

Virtus emmenagoga, anthelmintica, pellens, balsamica.

Usus. Epilepsia, vermes, suppressio menstruorum, fluor albus.

Dosis. Drachmae duae cum aquae unciis sex infusum; scrupulus unus pulveris.

DIERVILLAE stipites. *Lonicera diervilla.* L. cl. V. Ord. Monogyn. Frutex exiguus Canadensis in collibus nemorosis crescit, in hortis radices surculos copiosos protrudunt.

Odor et *Sapor* nauseosus.

Virtus pellens, antivenerea.

Usus. Dysuria, gonorrhoea, syphilis.

Dosis. Uncia una cum aquae libris duabus infusum, seu decoctum.

DIGITALIS folia, flores. *Digitalis purpurea.* L. cl. IV. Ord. Angiosp. Planta biennis in campis apricis Rossiae australis crescit.

Odor nullus.

Sapor amarus, ingratus, acris.

Virtus emetico-drastica, exulcerans os, fauces, oesophagum, resolvens, maiori dosi venenata.

Usus. Scrophulae humidae, strumae, tumores indurati mammae, epilepsia, mania, hydrops pectoralis.

Dosis. Pulveris a grano uno, ad tria, bis, terve de die, sive drachma una cum aquae ferventis libris duabus per quatuor horas infusum, cuius uncia dimidia ad sesquiunciam bis, terve in die exhibetur; extracti a grano uno, ad decem. Butyro folia s. flores recepti in unguentis, seu cataplasmatibus, contra scrophulas adhibentur.

DULCAMARAE stipites. *Solanum dulcamara.* L. cl. V. Ord. Monogyn. Suffrutex in tota Rossia; ad sepes in nemorosis locis spontaneus.

Odor stipitum recentium gravis, nauseosus.

Sapor amaricans, postea subdulcescens.

Odor siccorum stipitum nullus.

Sapor magis amarus.

Virtus diuretica, sudorifera, emmenagoga, mundificans, antiscorbutica.

Usus. Rheumatismus, retentio mensium et lochiorum, dolores osteocopi, icterus, scabies, fluor albus, lues venerea, phthisis, herpes, oedema erisypelaceum, ulcera crurum.

Dosis. Stipitum siccorum et concisorum drachmae duae vel quatuor infunduntur cum aquae bullientis libra una, quae post moram semihorii per octavam horae partem una ebulliant, huius decocti modice frigefacti mane et vespere duo vasa pro thea, prius cum lacte, postea sine eius connubio ingeruntur.

Stipites iuniores, vere, priusquam lignescant, colligendi sunt.

ELEMI gummi est massa solida, semipellucida, flavescens fere instar cerae cum immixta viredine, inter digitos frigidos friabilis, calore lentescens. *Amyris elemifera.* L. cl. VIII. Ord. Monogyn. Arbor Americae meridionalis.

Odor fragrans ad Anethum accedens.

Sapor gravis, amaricans.

Virtus digerens, suppurationem promovens.

Usus. Digestio, et sanatio ulcerum.

Resinae potius nomen meretur, quam gummi.

ENULAE radix. *Inula helenium.* L. cl. XIX. Ord. Polygam. superfl. Planta perennis in tota Rossia spontanea.

Odor siccae violaceus.

Sapor amarus, aromaticus et pungens.

Virtus incidens, resolvens, pectoralis, emmenagoga, antiscabiosa.

Usus. Tusses pertinaces epidemicae, asthma humidum, scabies, chlorosis.

Dosis. Drachma dimidia in pulvere, aut drachmae duae cum aquae unciis sex infunduntur; sive radix condita.

ERUCAE semina. *Brassica eruca*, seu *Sinapis alba.* L. cl. XV. Ord. Siliqu. Planta annua in hortis, et campis Rossiae australis sponte crescit.

Odor graviusculus.

Sapor acris et seminibus sinapeos nigrae consimilis, sed longe remissior.

Virtus sinapeos nigrae, sed debilior.

Usus. Hydrops.

EUPHORBII gummi seu Euphorbium. *Euphorbia officinarum.* L. cl. XI. Ord. Trigyn. Suffrutex in Africa perennans.

Odor vix ullus.

Sapor primum nullus, dein fauces et linguam, ut mille acus, pungens, inhaerens.

Virtus acris, irritans, inflammans, drastica, errhina.

Usus. Externus, illeque cautissimus in carie ossium sub forma tincturae spirituosae.

FARFARAE, seu TUSSILAGINIS radix, folia, flores. *Tussilago farfara.* L. cl. XIX. Ord. Po-

lygam. superfl. Planta perennis in omnis Rossiae solo argilloso ad fossas vulgaris.

Odor foliorum debilis, florum leviter odorus.

Sapor viscidus, leviter adstringens; Florum subdulcis.

Odor radicis nullus.

Sapor viscidus, subamarus.

Virtus pectoralis totius stirpis, praecipue radicis recentis.

Usus. Tussis, asthma, phthisis, morbi scrophulosi, tinea capitis, crusta lactea.

Dosis. Florum uncia una cum aquae unciis quatuor infusum; radicis uncia dimidia cum aquae unciis octo ad uncias sex decoctum.

FERRUM. *Ferrum selectum.* L. cl. II. Minerae. Metalla.

Odor proprius.

Sapor metallicus.

Virtus roborans, emmenagoga, haematopoetica.

Usus. Morbi externi et interni a laxitate, vel a menostasia orti.

Dosis. Limaturae martis ex ferro purissimo paratae a scrupulo dimidio, ad scrupulum unum cum saccharo, in pulvere; in pilulis cum extracto amaro datur.

FILICIS FOEMINAE radix. *Pteris aquilina.* L. cl. XXIV. Ord. Filices. Planta perennis in sylvis sterilibus, et dumetis asperis crescit.

Odor nauseosus.

Sapor viscidus, amaricans.

Virtus anthelmintica.

Usus. Lumbrici, taeniae.

Dosis. Drachmae duae cum melle; vel drachmae tres cum vino albo, ter vel quater de die; infantibus ad drachmam dimidiam in duas portiones divisam cum pauxillo lactis subjuncto purgante postero die.

FILICIS MARIS radix. *Polypodium filix mas.* L. cl. XXIV. Ord. Filices. Stirps perennis in sylvis totius Rossiae frequens.

Odor radicis recentis debilis, subnauseosus.

Sapor substypticus, non ingratus, debiliter subaromaticus, vix dulcescens.

Virtus anthelmintica, emmenagoga, abortiens.

Usus. Taeniae.

Dosis. Drachma una pulveris, ad drachmas tres.

FLAMMULAE IOVIS folia, flores. *Clematis erecta.* L. cl. VIII. Ord. Polygyn. Planta perennis in tota Rossia spontanea.

Odor foliorum recentium debilis.

Sapor acris, fauces linguamque urens, diutius retentus eam rubefaciens, vesiculas excitans et exulcerans; siccorum vero mitior, acidosubdulcis, leniter adstringens, parum stimulans; Florum tam siccorum, quam infusorum sapor cum constantia acris est.

Virtus antisyphilitica, solvens, diuretica, sudorifera.

Usus. Symptomata venerea, ut tophi, dolores ossium nocturni, ulcera sordida, fungosa,

scabies annosa, cephalaea dirissima, tumores duri circa articulos, melancholia.

Dosis. Foliorum drachmae duae cum sufficiente quantitate aquae ferventis per quadrantem horae, vase clauso infunduntur, et ebullitione per momentum subiuncta, coletur libra una, cuius unciae quatuor per diem bis, ter, vel quater exhauriuntur, Florum drachma una dicto modo infunditur.

Haec infusa fortiora fiunt ascendendo, hoc est, foliorum drachmae tres ad unciam dimidiam; florum duae drachmae ad tres. Foliorum pulveris grana tria cum dupla sacchari quantitate bis vel ter de die ad grana decem. Extracti herbae recentis ad granum unum per diem ascendendo ad duo, tria, cum sacchari albi drachma una. Saepe usus externus simul cum interno utiliter copulatur.

FOENICULI semen. *Anethum foeniculum.* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta biennis in Rossia temperata hortensis.

Odor seminum aromaticus, suavis.

Sapor calidiusculus, dulcescens.

Virtus carminativa, pectoralis, lactifera, aperiens, externe discutiens.

Usus. Tormina ex purgantibus, ophthalmia, vomitus, lacte destitutae puerperae.

Dosis. In pulvere grana viginti; drachmae duae aut tres in infuso.

FORMICAE cum Acervo. *Formica rufa* L. cl. V. Lepidoptera. In campis, et sylvis frequentissima.

Odor volatilis.

Sapor acidulus.

Virtus irritans.

Usus. Paralysis. Sub forma epithematis, sive ex aqua formicae coctae partibus paralyticis admoventur.

FRAXINI cortex. *Fraxinus excelsior.* L. cl. XXIII. Ord. Dioecia. Arbor in tota Rossia frequens.

Odor nullus.

Sapor amarus, austerus.

Virtus adstringens, antiseptica.

Usus. Febris intermittens, haemorrhagiae, ulcera putrida.

Dosis. Corticis uncia dimidia cum aquae libra una cum dimidia ad libram unam decoctum; vel drachma dimidia in pulvere, omni trihorio, donec aeger unciam unam et dimidiam ingesserit.

FUMARIAE herba recens. *Fumaria officinalis.* L. cl. XVII. Ord. Hexandr. Planta annua in agris Rossiae temperatae spontanea.

Odor nullus.

Sapor ingratus, amarus, salinus.

Virtus aperiens, tonica, antiscorbutica.

Usus. Obstructiones viscerum, nominatim hepatis, icterus, morbi cutis, lepra, scorbutus.

Dosis. Drachmae duae cum seri lactis libra una infunduntur; vel succi expressi unciae duae ad quatuor, cum sero lactis, bis, de die; Conservae uncia dimidia; Extracti drachma una.

FUNGUS MELITENSIS. *Cynomorium coccineum.* L. cl. XXI. Ord. Monandr. Planta parasitica radicibus variarum arborum Lentisci, Myrti, in Malta, Italia, Mauritania, innascens.

Odor nullus.

Sapor stipticus, amaricans, salsus, recens succum vehit rubicundum.

Virtus restringens, roborans.

Usus externus. Ulcera cacoëthica, gingivae laxae, stomacace, pulveres dentifricii, haemorrhagiae.

Dosis. Drachma una cum seri lactis unciis tribus infusum.

GALANGAE MAJORIS et MINORIS radix. *Maranta galanga.* L. cl. I. Ord. Monogyn. Planta perennis G. maior in Iava, Malabaria, G. minor in regno Sinensi crescit.

Odor maioris fragrans, minoris vero debilior et ignobilior.

Sapor aromaticus, penetrans, fervidus, linguam mordens.

Virtus calefaciens, incidens, stomachica.

Usus. Anorexia, paralysis linguae, atrophia membrorum.

Dosis. Grana decem ad viginti in pulvere, et externe efficacem sistit medicinam.

GALBANI gummi. Est gummi-resina, sicca, tenax, dum recens, coloris albidi, vetustate autem flavescentis, vel rufescentis, distincti maculis albidis, cuius praestantia ex pluribus numero lacrymis, sive unguibus, coloreque minus fusco diiudicatur. *Bubon galbanum.* L. cl. V. Ord. Digyn. Frutex Africanus.

Odor fortis, ingratus.

Sapor calidus, amaricans.

Virtus stimulans, resolvens, maturans, emmenagoga, antispasmodica.

Usus. Asthma, hysteria, tumores, flatus, tussis inveterata.

Dosis. Drachma dimidia in pilulis; Cataplasma, unguentum, emplastrum.

Prostat etiam Galbanum in massis, quod etiam ferri potest; sed coloris luridi, fusci, spissitudinis cerae, etiam quoque Persicum spissitudine therebintinae praeditum, et faecibus multis nigris commixtum reiicitur.

GALLAE QUERCINAE sive TURCICAE. Sunt domicilia insecti cuiusdam Cynipis Quercus folii, *Quercus cerris.* L. cl. V. Insecta Lepidoptera, quae reperiuntur in foliis variarum quercus specierum. Arbor in Rossia australiori frequens.

Odor nullus.

Sapor acerbissimus, valde stipticus.

Virtus peradstringens, obstipans.

Usus. Herniae, maculae hepaticae, haemorrhagia, prolapsus ani, uteri, et aliae affectiones a relaxatione, ulcera putrida, gangraena.

Dosis. Interne nunquam; extus decocta stiptica in dictum usum parantur.

Orientales, Aleppenses, praesertim Turcicae reliquis praeferuntur.

GEI RIVALIS seu PALUSTRIS radix. *Geum rivale.* L. cl. XII. Ord. Polygyn. Planta perennis crescens in pratis subhumidis, et paludosis ubique copiosissima.

Odor debilis, mucosus.

Sapor stipticus, austerus.

Virtus febrifuga, adstringens, tonica.

Usus. Febres intermittentes, praecipue vernales, oedemata pedum, diarrhoeae diuturnae, haemorrhagia uteri, haemorrhoides nimiae, labes ventriculi ex laxitate.

Dosis. Ad scrupulos duos aliquoties de die in pulvere; uncia dimidia in infuso.

GENTIANAE LUTEAE seu RUBRAE radix. *Gentiana lutea.* L. cl. V. Ord. Digyn. Perennat in Alpibus montium temperatae Rossiae.

Odor debilis.

Sapor amarissimus.

Virtus tonica, anthelmintica, antispasmodica, febrifuga, antiseptica.

Usus. Cachexia, arthritis, icterus, febres intermittentes, obstructio viscerum, scrophulae,

ulcera fistulosa, vermes. Extus ad dilatanda vulnera, et sordida ulcera.

Dosis Ad drachmas duas per diem in pulvere, seu infuso; extracti aquosi grana decem.

In locum huius surrogati possunt sequentes species, ut: *Gentiana purpurea, campestris, pneumonanthe, cruciata, amarella* L. Non confundatur haec radix in collectione cum *Ranunculo thora* L.

GEOFFROYAE IAMAICENSIS cortex est cinereus, et subinde rubri vel ferrei coloris, maculis distinctus, epidermis deglubitur facile, cortex subiectus, si siccus evaserit, refert ferrum rubigine correptum, et superficies interna est cinerea, et quoad externum habitum cum cortice cascarillae comparatur. *Geoffroya inermis* Schreb. L. cl. XVII. Ord. Decandr. Arbor in Iamaica frequens.

Odor subnauseosus.

Sapor acris, amaricans.

Virtus diuretica, anthelmintica, purgans, nimia dosi emetica.

Usus. Lumbrici, ascarides.

Dosis. In pulvere, pro purgante, robusto homini ad grana triginta; Iuveni, viginti, bienni vel trienni, quatuor; decoctum vero melius vermes necat, cuius uncia una cum aquae unciis triginta duabus coquitur ad remanentiam unciarum octo, colaturae additur saccharum. Huius decocti robustus cochlearia quatuor; Iuvenis tria; infans dictae aeta-

tis unum cochlear mane, per tres, seu quatuor dies ascendendo capiat. Extracti a granis tribus, ad quinque et ultra.

Ne bibatur aqua frigida durante effectu huius medicinae.

GLYCYRRHIZAE sive LIQUIRITIAE radix. *Glycyrrhiza glabra.* L. cl. XVII. Ord. Decandr. Planta perennis in australi Rossia ad Iaicum, et Volgam, copiosissima.

Odor debilis.

Sapor intense dulcis, non nihil mucilaginosus, coctione ingrate amarescit.

Virtus emolliens, edulcorans, pectoralis, sitim extinguens.

Usus. Tussis, raucedo, arthritis, rheumatismus, sitis hydropicorum, stranguria, asthma.

Dosis. Uncia dimidia cum aquae unciis octo infusum; pulvere asperguntur pilulae.

Glycyrrhiza echinata L. commode substituitur Glycyrrhizae glabrae.

GRAMINIS radix. *Triticum repens.* L. cl. III. Ord. Digyn. Perenne in tota Rossia ad sepes crebrum, pestis quoque vulgaris est agrorum, et hortorum.

Odor frumentaceus.

Sapor debiliter dulcescens.

Virtus blande resolvens, aperiens, demulcens.

Usus. Obstructio viscerum, febres intermittentes, icterus a calculis felleis, pituita pulmones gravans, hypochondriacum malum.

Dosis. Uncia una cum aquae unciis quatuordecim ad remanentiam librae unius decoctum; succus ad aliquot uncias, quovis die.

GRATIOLAE herba, radix. *Gratiola officinalis.* L. cl. II. Ord. Monogyn. Planta perennis in tota Rossia spontanea.

Odor nullus.

Sapor intense amarus, nauseosus, siccae debilior.

Virtus purgans, hydragoga quandoque emetica, simul anthelmintica.

Usus. Hydrops, tumores oedematosi pedum, arthritici, ulcera inveterata.

Dosis. Pulveris scopo purgandi ad scrupulum unum; extracti drachma dimidia in pilulis; herbae drachma una cum aquae unciis quatuor infusum; externe, epithema.

GUAIACI lignum; gummi. *Guaiacum officinale.* L. cl. X. Ord. Monogyn. Arbor in America meridionali spontanea.

Odor ligni debilis, resinosus.

Sapor amaricans, acriusculus.

Odor gummi seu resinae nullus, at prunis iniectae gratus, aromaticus.

Virtus sudorifera, diuretica, mundificans, subcalefaciens, antivenerea.

Usus. Syphilis, arthritis, podagra, morbi chronici cutis, rheumatismus, asthma convulsivum, diathesis pituitosa.

Dosis. Rasurae ligni uncia una cum aquae

libra una ad uncias octo decoctum. Resinae grana quinque, decem, viginti, ad drachmam dimidiam.

GUMMI ARABICUM. *Mimosa nilotica.* L. cl. XXIII. Ord. Monoec. Arbor sabuloso solo crescens in Arabia petraea, et Aegypto, in regno Senegalensi, praecipue in insula Sor, et vicina insula St. Ludovici, prope ostium fluvii Niger.

Odor et *Sapor* nullus.

Virtus obvolvens, incrassans, leniens, olea, resinas, balsama, mercurium vivum cum aqua subigens.

Usus. Dysenteria, tenesmus, diarrhoea, tussis, raucitas, stranguriae, haemorrhoides; textus, erosae mammarum papillae, et aliae partes excoriatae.

Dosis. Drachma dimidia bis, ter de die; in solutione uncia ad aquae libram unam.

Gummi Senegal cum hoc viribus convenit.

GUMMI GUTTAE. Est succus gummi-resinosus, in officinis forma placentarum largarum, vel Magdaleonum insignium prostat, coloris ex flavo rufi, extus multo obscurioris, nitens, friabilis, non nihil pellucens, humectatus in pallidam flavedinem mutatur, qui probae notae est, carere sabulo aliisque quisquiliis debet. *Guttaefera vera* Koenig. *Cambogia gutta* L. cl. XIII. Ord. Monogyn. Arbor crescens in regno Siamensi prope locum Cambodiae vicinum, item in Zeylona.

Odor nullus.

Sapor initio nullus, dein acris cum siccitatis faucium sensu subsequo.

Virtus purgans, hydragoga, resolvens, subemetica.

Usus. Hydrops, taeniae, asthma, pituitaria diathesis.

Dosis. A granis duobus ad decem pulveris cum saccharo; in pilulis cum extracto amaro.

HELLEBORI ALBI radix. *Veratrum album.* L. cl. XXIII. Ord. Polygam. Monoec. Planta perennis in temperata Rossia et Sibiria spontanea.

Odor recentis ingratus; siccae vero nullus.

Sapor nauseosus, acerrimus, fauces adurens, diu inhaerens.

Virtus abstergens, irritans, sternutatoria, venenata, emetica, anthelmintica, drastica.

Usus externus. Herpes exulceratus et crustaceus, tinea, pediculi, in forma decocti, vel unguenti; interne, morbi chronici, ut mania, melancholia, morbus comitialis, rabies canina.

Dosis. Grana duo ad tria, quatuor, quinque, ad sex; scrupulus unus cum aquae unciis sex infusum, cuius drachma dimidia datur.

Vere colligitur, et rejecta interna parte lignosa ad usum servetur.

HELLEBORI NIGRI fibrae, quae ex crasso capitulo radicis innumerae emittuntur, aliquot pollices longae, extus nigrae, intus albae. *Hel-*

leborus niger. L. cl. XIII. Ord. Polygam. Planta perennis in Rossia australi spontanea.

Odor nauseosus.

Sapor acris, leviter amaricans, inhaerens; recentium acrior; diu servatarum vix acris, nisi diutius masticantur.

Virtus recentium venenata, rubefaciens, vesicans; recens siccatarum emetica, purgans, emmenagoga; diu conservatarum vix purgans, alterans, diuretica.

Usus. Lepra, scabies foetida, melancholia, hypochondriasis, mania, hydrops, epilepsia.

Dosis. A drachma una ad tres cum unciis octo aquae infusum, cuius cochleare minimum cum tepidae haustu bis de die, ascendendo, bibitur; extracti a granis tribus, sex, decem, ad viginti, ter, per diem.

Non bene Helleboro nigro substituitur *Adonis vernalis, Trollius europaeus, Actaea spicata, Arantia maior* L.

HELMINTHOCHORTON. Fucus Helminthochorton de la Tourrette. *Conferva dichotoma.* L. cl. XXIV. Ord. Algae. In mari, quod Corsicam alluit, colligitur.

Odor marinus, nauseosus.

Sapor salinus.

Virtus anthelmintica.

Usus. Lumbrici, taeniae, ascarides.

Dosis. A granis duodecim ad triginta cum melle, infantibus trium annorum; adultis a drachma dimidia ad duas; seu in decocto,

Helminthochorti uncia dimidia cum aquae fluviatilis unciis sex coquitur, colaturae cum expressione unciis quatuor, mellis despumati uncia una additur, cuius decocti uncia una pro dosi esto. Sufficiunt saepe tria praebia quantitatis dictae Helminthochorti.

HIPPOCASTANI cortex. *Aesculus hippocastanum.* L. cl. VII. Ord. Monogyn. Arbor Asiae septentrionalis, hodie copiosissime per totam Europam colitur.

Odor corticis nullus.

Sapor adstringens, grate amarus.

Virtus praestans febrifuga.

Usus. Febres intermittentes, gonorrhoea ex atonia.

Dosis. Drachma una et dimidia pulveris, omni quadrihorio, cum aqua pura ingeritur; unciae duae cum aquae mensura una et dimidia ad remanentiam mensurae unius decoctum; extracti drachma una, in aquae cinnamomi uncia una soluti, omni trihorio, guttae sexaginta.

Colligi cortex debet ex ramis aetate non nimis provectis, nec nimis teneris, sub deglubendo, alburnum simul adhaerescit, quod antea cultro auferendum est, ne corticis efficaciam minuat.

HORDEI semen crudum. Semen decorticatum, perlatum, Maltum, sub incipiente vegetatione mox siccatum. *Hordeum distichum.* L. cl. III. Ord. Digyn. Planta annua seritur in agris.

Odor nullus.

Sapor farinaceus.

Virtus seminis crudi et perlati magis obvolvens, et plus, quam avena, nutriens; malti, antiseptica, alvum solvens.

Usus seminis crudi vel mundati. Febres inflammatoriae; Malti. Ulcera putrida et scorbutica, scrophulae, item tumores oedematosi, diarrhoea continua.

Dosis. Hordei mundati unciae duae cum aquae libris duabus, ad remanentiam unciarum sedecim decoctum. Malti librae duae triplo aquae ferventis perfunduntur, et per tres, vel quatuor horas, vase probe clauso digeruntur, subsequa decantatione. Hoc potulentum per diem consumitur.

HYOSCIAMI folia. *Hyosciamus niger.* L. cl. V. Ord. Monog. Planta biennis ubique ad vias, et in fimetis frequens.

Odor herbae recentis narcoticus, ingratus, contusae tabacinus.

Sapor fatuus.

Odor siccorum debilis.

Sapor nullus, vix acriusculus.

Virtus narcotica, phantastica, antispasmodica, emmenagoga, extus resolvens.

Usus internus. Paralysis, palpitatio cordis, mania, convulsiones, melancholia, epilepsia, cephalalgia inveterata, colica saturnina; Externus. Tumores duri, scirrhus et convulsiones a nervo laeso.

Dosis. Extracti a grano uno, ter, de die, sensim ascendendo ad grana octodecim per diem; cataplasma ex foliis.

HYSSOPI herba. *Hyssopus officinalis.* L. cl. XIV. Ord. Gymnosp. Planta perennis in Sibiria spontanea, atque in hortis ubique colitur.

Odor siccae et recentis fragrans.
Sapor calidiusculus, aromaticus, amaricans.
Virtus resolvens, incidens, irritans.
Usus. Morbi pectoris frigidi, tussis, angina pituitosa, asthma.
Dosis. Drachmae duae cum aquae unciis quatuor infunduntur.

JALAPPAE radix est solida ponderosa, externe nigricans, rugosa, interne obscure grisea, striis nigris variegata, et quo ponderosior est, pluribusque striis distinguitur, eo praestantior. *Convolvulus jalappa.* L. cl. V. Ord. Monogyn. Planta perennis crescens in Mexicano regno, Veracruce, et, ex urbe Xalapa, in Europa venit.

Odor cum in pulverem teritur, nauseosus.
Sapor acriusculus, diutius inhaerens, ingratus.
Virtus purgans, hydragoga, anthelmintica.
Usus. Saburra intestinorum, vermes, hydrops.
Dosis. A scrupulo uno ad duos pulveres. Resinae a granis tribus, ad octo, et decem, cum sapone, vel vitello ovi.
Ex libra una radicis unciae tres et dimidia, cum sesquidrachma, resinae eruuntur.

JASMINI flores. *Jasminum officinale.* L. cl. II. Ord. Monogyn. Frutex in hibernaculis copiosus colitur.

Odor suavissimus, specificus.

Sapor subamaricans.

Usus. Olea infusa, odorata.

Deficientibus floribus Iasmini, flores *Nyctanthes*, *Philadelphi coronarii* L. recte substituuntur.

IMPERATORIAE radix. *Imperatoria ostruthium.* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta perennis per Rossiam temperatam cultu facilis.

Odor aromaticus.

Sapor calidus, pungens, totum os replens, tenaciter inhaerens.

Virtus apophlegmatisans, stimulans, sudorifera, diuretica, carminativa.

Usus. Retentio urinae, morbi mucosi, paralysis linguae, hysteria, colica, ulcera foeda.

Dosis. Scrupuli duo cum aquae unciis octo infunduntur; externe aspergo.

IPECACUANHAE radix. *Psychotria emetica?* L. cl. V. Ord. Monogyn. Planta perennis, patria huius stirpis est provincia Gironensis regni Mexicani.

Odor corticis nullus, pulverisati nauseosus.

Sapor amaricans, acriusculus, inhaerens.

Virtus maiori dosi emetica, minori vero alterans, sudorifera, anthelmintica.

Usus. Diarrhoea, dysenteria, haemorrhagia

uteri, hysteria, hernia incarcerata, tussis convulsiva, asthma spasmodicum, febres intermittentes pertinaces, arthritis, rheumatismus, otitis pituitosa.

Dosis. Adultis, scopo vomitum ciendi, in pulvere, a granis decem, ad viginti quinque; alterandi vero scopo, a grano uno, duobus, ad sex, cum saccharo.

Si radix vera frangitur, linea alba cineritia, quam in medio habet, ab Apocyni radice dignoscitur, in qua haec linea fulva apparet.

IREOS vel IRIDIS FLORENTINAE radix. *Iris florentina.* L. cl. III. Ord. Monogyn. Planta perennis in Rossia australi cultu facilis.

Odor siccae gratus, violaceus.

Sapor leviter amaricans, subacris, diutius ore remanens.

Virtus recentis purgans cum vehementia; siccatae incidens, attenuans, pectoralis.

Usus. Pituita pulmonum, unde dyspnoea, asthma, tussis.

Dosis. Drachma dimidia pulveris, qui etiam ob gratum odorem pulveri dentifricio admiscetur.

IUGLANDIS cortex fructûs exterior viridis, seu putamen nucum iuglandum. *Iuglans regia* L. cl. XXI. Ord. Polyandr. Arbor in Rossiae australis hortis colitur.

Odor corticis s. putaminis s. drupac non admodum gratus.

Sapor adstringens, amarus.

Virtus anthelmintica, detergens.

Usus. Lumbrici, taeniae, ulcera foeda, aphtae.

Dosis. Extracti aquosi drachma dimidia in uncia dimidia aquae cinnamomi solvitur. Cuius liquoris, initio, infantibus biennibus vel triennibus, guttae viginti ad triginta, ter, de die; Dein guttae quadraginta ad quinquaginta pro cuiusvis aetate. Item paratur ex uncia una putaminum viridium cum libra una aquae decoctum, quod tam interne, quam externe exhibetur.

IUNIPERI baccae, lignum. *Iuniperus communis.* L. cl. XXI. Ord. Monadelph. Arbusculum, in Rossiae temperatae solo sterili, spontaneum.

Odor baccarum pulpae aromaticus.

Sapor subdulcis, subamarus, resinosus.

Odor ligni gratus.

Sapor amaricans.

Virtus diuretica, sudorifera, mundificans.

Usus. Hydrops, scorbutus, lues venerea, catarrhus senilis, scabies, arthritis, sabulum, suffumigium vulgatissimum.

Dosis. Baccarum uncia dimidia cum aquae libra una ad uncias octo decoctum; Ligni radicis uncia dimidia cum aquae libris duabus ad uncias sedecim decoctum.

KINO gummi sunt massae difformes, durae, haud pellucidae, coloris ex rubro-nigri, fracturae splendentis et saepe cellulosae, ab arbore, quae in loco suo natali, id est, ad fluvium Gambia Africae, dicitur Pau.

Odor nullus.

Sapor valde adstringens cum subsequa dulcedine, dentibus adhaeret.

Virtus roborans, refocillans.

Usus. Diarrhoea chronica, fluor albus a relaxatione, fluxus menstruorum immodicus, et morbi a laxitate acrimoniaque provenientes.

Dosis. Scrupulus unus ad drachmam dimidiam in pulvere; extus iniectiones.

LACCAE gummi est productum Cocci ficus; habitantis in *Ficu religiosa*, et *Ficu Indica* L. cl XXIII Ord. Trioec. In Bengalia praecipue reperitur in montibus incultis ad utrumque fluvii Ganges latus. Tres species eius existunt: I. Lacca in baculis s. ramis. II. In granis. III. In tabulis s. massis. Quo profundius rubra lacca est, eo melior censetur. Pallida et perforata vilioris est pretii. Hinc tutius semper eligitur Lacca in baculis in scopum medicum.

Odor nullus.

Sapor levissime amarus stipticus.

Virtus, et *Usus*. Vid. Tinctura laccae. P. II.

LACTUCAE SYLVESTRIS herba. *Lactuca virosa.* L. cl. XIX. Ord. Polyg. aequal. Planta bi-

ennis in aggeribus, et sepibus, ubique copiose crescens.

Odor virosus.

Sapor acris, amarus.

Virtus diuretica, aperiens, solvens, attenuans.

Usus. Hydrops, obstructio viscerum, febres intermittentes biliosae, icterus.

Dosis. Extracti aquosi a granis triginta, ad drachmas tres, in pilulis, per diem.

LAPATHI AQUATICI radix. *Rumex aquaticus* L. cl. VI. Ord. Trigyn. Planta perennis vulgaris. Ad fossas, lacusque.

Odor levis.

Sapor manifeste austerus, et amarus.

Virtus antiscorbutica, tonica.

Usus. Ulcera cacoëthica, affectiones scorbuticae: ut, stomacace, laxitas gingivarum, et dentium, rachitis.

Dosis. Drachmae duae in forma decocti; Fotus. Pulvis comminutus praestantem pulverem dentifricium constituit.

LAVENDULAE spica florens. *Lavendula spica* L. cl. XIV. Ord. Gymnosp. Suffrutex hortensis.

Odor recentis et siccae fragrans, fortis, cephalicus, suaveolens.

Sapor aromaticus, amaricans, calidiusculus; Flores gratioris odoris.

Virtus nervina, resolvens, tonica, emmenagoga, stimulans.

Usus. Animi deliquia, paralysis, tremores artuum, vertigo. Vix unquam absque praevia praeparatione per os ingeritur, tutius sacculis, vel fomentatione, extrinsecus, ad stagnationes humorum varias adhibetur.

LAUROCERASI folia. *Prunus laurocerasus* L. cl. XII. Ord. Monogyn. Arbor prope mare nigrum crescens.

Odor recentium digitis contritorum fragrans.

Sapor nucleorum Persicae, vel amygdalarum amararum, verum fortior.

Virtus summe deleteria, narcotica, resolvens, diuretica, maiori dosi venenata, praesertim feris.

Usus. Obstructio chronica hepatis, viscidum tenax, tumores scirrhosi, mania, melancholia.

Dosis. In forma aquae destillatae, cuius guttae triginta ad sexaginta, ter, quater per diem, cum maxima cautela exhibentur.

LAURI folia, baccae. *Laurus nobilis* L. cl. IX. Ord. Monogyn. Arbor Europae calidae propria.

Odor foliorum aromaticus, balsamicus, graviusculus.

Sapor aromaticus, subamaricans; Baccarum vero sapor et odor antistat aromate suo foliis.

Virtus resolvens, roborans, emmenagoga, diuretica, sudorifera, carminativa.

Usus. Pituitosi humores, sugillationes, hysteria.

Dosis. Foliorum uncia dimidia cum aquae libra una infusum. Baccarum s. Drupae scrupulus unus cum aquae unciis sex infusum.

LEVISTICI herba, radix, semen. *Ligusticum levisticum* L. cl. X. Ord. Digyn. Planta perennis in tota Rossia hortensis.

Odor totius plantae specificus praecipue herbae ingrate fragrans.

Sapor calidus, aromaticus.

Virtus Angelicae et Imperatoriae haud dispar.

Usus. Earumdem.

Dosis. Drachmae duae cum aquae unciis sex.

LICHEN ISLANDICUS seu MUSCUS ISLANDICUS. *Lichen islandicus* L. cl. XXIV. Ord. Algae. Perennis in Rossiae septentrionalis sylvis, et saxetis aridis frequens.

Odor nullus.

Sapor amarus, subadstringens.

Virtus antiseptica, nutriens, pectoralis.

Usus. Phthisis, tussis, haemoptysis, catarrhus inveteratus, sudores et diarrhoea colliquativa, dysenteria.

Dosis. Uncia una cum aquae unciis sedecim, donec remanserint duodecim, omni bihorio cyathus unus ingeritur.

LINI semen, oleum expressum. *Linum usitatissimum* L. cl. V. Ord. Pentagyn. Planta annua in Rossia ubique conseritur in agris.

Odor seminis recentis debilis.

Sapor fatuus, mucilaginosus.

Virtus laxans, emolliens, obvolvens.

Usus. Passio iliaca, pleuritis, colica nephritica, haemoptysis a calculo pulmonum, tenesmus, hernia incarcerata, angina, stranguria, gonorrhoea inflammatoria, colica pictonum, dolores in dysenteria, vermes.

Dosis. Olei recentis expressi uncia una; Duae, tres unciae in clysmate; seminis contusi drachmae tres ad libram unam aquae fervidae infusum. Cataplasma.

LINI CATHARTICI herba. *Linum catharticum* L. cl. V. Ord. Pentag. Planta annua in Rossiae temperatae campis, item pratis humidis crebra.

Odor nullus.

Sapor amarus, nauseosus, subacris.

Virtus purgans.

Usus. Arthritis vaga, hydrops.

Dosis. Drachmae duae cum aquae s. seri lactis unciis quatuor infusum.

LITHARGYRIUM est mediae, inter calcem, et vitrum indolis, ponderosum, squamosum, coloris flavi, nunc pallidioris, nunc propius in rubrum vergentis, in depuratione atque excoctione metallorum nobilium potissimum nascens et vix unquam a cupri calce liberum.

Odor nullus.

Sapor metallicus, dulcis.

Virtus exsiccans, adstringens.
Usus. Varia praeparata.

LOBELIAE radix. *Lobelia syphilitica* L. cl. XIX. Ord. Monogam. Planta perennis in locis udis ad fossas et flumina Virginiae.

Odor virosus.
Sapor tabacinus, acris, linguae adhaerens.
Virtus purgans, antivenerea.
Usus. Syphilis, ulcera putrida.
Dosis. Tres ad sex radices in aquae libris tribus coquuntur, et ter, de die, libra una bibitur; extus lotiones.
Hac tamen specie alia, scilicet *Lobelia longiflora* L. fortior est, sed fortissima *Lobelia Tupa* L. at caute adhibenda, nam corrosiva est.

LYCOPODII semen. *Lycopodium clavatum* L. cl. XXIV. Ord. Musci. Perennat in sylvis circa Petropolim copiose.

Odor et sapor nullus, indoles ceracea ad flammam ardens.
Virtus leniens, absorbens.
Usus externus. Excoriatio, fissurae, intertrigo infantum, tinea capitis, pilularum conspersio.

MAGNESIA NIGRA, M. VITRIARIORUM. *Magnesia vulgaris* L. Syst. nat. III. p. 296. Est calx metallica in semimetallum propriae indolis, magnesium nuncupatum, reducibilis, quod semimetallum in fractura granulare, valde fragile, licet simul valde durum.

Usus. Praeparata: ut aër vitalis, acidum salis dulcificatum.

MAIORANAE herba seu summitates. *Origanum majorana* L. cl. XV. Ord. Gymnosp. Planta annua hortensis.

Odor fragrans, fortis.
Sapor aromaticus, subamaricans.
Virtus tonica, stomachica, resolvens, emmenagoga, errhina.
Usus. Tenax pituita, asthma, catarrhus.
Dosis. Drachma una cum aquae unciis quatuor infusum.

MALVAE radices, MALVAE VULGARIS herba. *Malva rotundifolia* L. cl. XV. Ord. Polyandr. Planta annua ubique ad vias, sepes, locis ruderatis spontanea.

Odor nullus.
Sapor mucilaginosus.
Virtus et *Usus* Altheae.

MALVAE ARBOREAE flores. *Alcea rosea* L. cl. XVI. Ord. Polyandr. Planta biennis, vulgare hortorum ornamentum.

Odor nullus.
Sapor mucilaginosus, subadstringens.
Virtus emolliens, angina pituitosa, amygdalarum tumor.
Usus. Recipitur maxime ad gargarismata roborantia.

MANNA, vel MANNA CALABRINA. Est succus inspissatus. *Fraxini rotundifoliae*, *Fraxini orni*. *Fraxini excelsioris* L. cl. XXIII. Ord. Dioecia. Arbores, in Calabaria, et Sicilia, succi istius praecipue feraces sunt.

Odor nullus.

Sapor melligineus, dulcis, subacescens.

Virtus eccoprotica, edulcorans, obtundens, solvens, pectoralis.

Usus. Ubi instat saburra movenda, ut in febri inflammatoria, asthmate, catarrho, phthisi, inflammatione visceris cuiuscunque, maxima sensilitate primarum viarum, colica nephritica, graviditate.

Dosis. A drachmis duabus ad uncias duas et ultra.

Tres praecipue sunt species mannae:

1. Manna in lacrymis, est rara optimaque species, quae solis calore sponte stillat, et ab aëre frigidiusculo in parvos globulos condensatur.
2. Manna canellata, quae ex frustis, aliquot pollices longis, unum circiter latis, una facie concavis efformatur, obtinetur, dum in incisiones trunci immittunt folium, supra quod manna in parvulam pelvim stillat.
3. Manna vulgaris, M. Calabrina, M. Sicula, quae ex incisione trunci pari modo obtinetur, constat ex massis cohaerentibus diversae magnitudinis, et bonitatis. Ex quibus frusta albidiora et sicciora seliguntur, et sub nomine Mannae electae veniunt. Reliquae

vero, post selectum, mannae, Manna crassa, spissa, sordida vocantur, quae dum depurantur et in parvas tabulas efformantur, dicitur Manna tabulata, si vero aqua rosarum solvuntur, Manna depurata, appellatur. Caeterae species mannae sunt creberrime adulteratae, ut Manna Brigantina, quae prorsus e pharmacopolio eliminetur.

MARI VERI herba, seu summitates. *Teucrium marum* L. cl. XIV. Ord. Gymnosp. Suffrutex in Rossia temperata hortensis.

Odor fragrans, camphoraceus.

Sapor amarus cum caloris sensu.

Virtus tonica, resolvens, emmenagoga, diuretica, errhina.

Usus. Cachexia, hysteria, debilitas nervorum, dira tussis, asthma, morbi soporosi.

Dosis. Scrupulus unus omni quarta hora datur; vel herbae drachma una cum vini unciis quatuor infusum.

MARRUBII, seu MARRUBII ALBI herba. *Marrubium vulgare* L. cl. IV. Ord. Gymnosp. Planta perennis in Rossia australi et temperata crescens.

Odor subfragrans.

Sapor amarus, subacris.

Virtus emmenagoga, diuretica, incidens, aperiens.

Usus. Cachexia, obstructiones, hysteria, asthma pituitosum, icterus, ptyalismus mercurialis.

Dosis. Drachmae duae cum aquae unciis octo infusum; Epithema; Succus recens expressus cochleatim.

MASTIX, s. MASTICHE est resina constans ex granis fragilibus, variae magnitudinis, subpellucida, optima est lacrymarum formam habens, coloris flavescentis. *Pistacea lentiscus* L. cl. XXII. Ord. Pentandr. Arbor in Lusitania, Italia crescens.

Odor levis haud ingratus.

Sapor vix manifestus.

Virtus discutiens, roborans.

Usus Externus. Prolapsus intestini recti, pulvis dentifricius, suffimigia. Emphysema.

MEL. Est substantia mollis, spissa, tum alba, tum flavescens ab *Ape mellifera* L. ex nectariis florum collecta, atque intra favos reposita.

Odor fragrans, saepe eas plantas, ex quibus colligitur, redolet.

Sapor proprius, dulcis, subacriusculus.

Virtus abstergens, resolvens, antiseptica, eccoprotica, maturans, expectorans, consolidans.

Usus. Ulcera crurum, corneae, pituitosi morbi.

Dosis. Uncia una ad duas, tres de die.

Mel pro varia vegetabilium indole, colligendi encheiresi, patriaque ipsius, varia accipit nomina, ut:

Mel virgineum est, quod sponte, sive ad le-

vem calorem, diffractis favis defluit, et est optimum.

Mel commune vel crudum est, quod torculari exprimitur, ceram redolens, et est vilius.

Mel despumatum, vel excoctum, quum illud coctione multum gratiae perdit, nec bonum mel depuratione opus habet, hinc eviluit.

Mel Narbonense est albissimum, granosissimum, Rosmarinum redolet, hinc omnium princeps habetur, cuius dignitati non cedit Mel Lipetz dictum.

MELILOTI herba cum floribus. *Trifolium melilotus officinalis* L. cl. XVI. Ord. Decandr. Planta annua vel biennis in Rossia australi spontanea.

Odor siccatae plantae longe fragrantior, quam recentis.

Sapor subamarus, herbaceus.

Virtus resolvens, discutiens.

Usus. Fomenta, cataplasmata discutientia, et emplastrum sui nominis.

MELISSAE herba. *Melissa officinalis* L. cl. XIV. Ord. Gymnosp. Planta perennis in Rossia temperata hortensis.

Odor recentis et siccae fragrans, fere flavedinis corticis citri.

Sapor siccae acris, aromaticus.

Virtus resolvens, leniter roborans, diuretica, emmenagoga.

Usus. Melancholia, hypochondriasis, hysteria, paralysis, chlorosis.

Dosis. Drachma una cum aquae unciis quatuor infusum. Aqua destillata cochleatim.

MENTHAE CRISPAE herba. *Mentha crispa* L. cl. XIV. Ord. Gymnosp. Planta perennis in Sibiria spontanea, in Rossia hortensis.

Odor recentis et siccae fragrans, fortis, non admodum gratus, spirituosus.

Sapor calidus, aromaticus cum levi amaritie.

Virtus resolvens, ructatrix, nervina, diuretica, lac resolvens, attenuans, carminativa.

Usus. Anorexia, flatus, colica, ex dysenteria, hysteria, vomitus, coagulum lactis in mammis, asthma, tussis convulsiva, sugillationes, et contusiones.

Dosis. Drachma una cum aquae unciis quatuor infusum; externe cataplasma, fotus, clysma.

MENTHAE PIPERITAE, seu PIPERITIDIS herba. *Mentha piperita* L. cl. XIV. Ord. Gymnosp. Planta perennis in Rossia temperata hortensis.

Odor siccae, et recentis, fragrans, spirituosus, subcamphoratus.

Sapor aromaticus, fervidus, camphorae, linguam calefaciens, subsequente sensu frigidiusculo; siccae sapor fortior.

Virtus, Usus Dosisque praecedentis.

MERCURIUS, ARGENTUM VIVUM. *Hydrargyrum virgineum* L. cl. II. Minerae, Metalla. Est substantia in atmosphaerae calore

fluida, in summo frigoris gradu solida, malleabilis. Invenitur sive nativus, mercurius virgineus dictus, sive sulphure in cinnabarim versus, in quem ubi vertitur, pro variis, quibus inhaeret terris, varias mineras efformat. Reperitur in variis Sibiriae montibus.

Odor nullus.

Sapor metallicus.

Virtus solvens, resolvens, sialagoga, antisyphilitica.

Usus. Tam extus, quam intus adhibetur sub variis praeparatis.

Mercurius depuratur tutissime ope destillationis. Signa eius, dum purissimus sit, sunt sequentia: super chartam currit facillime, nihilque heterogenei relinquit, nulla cuticula tegitur, aut cuius globuli quasi filum non trahunt. In mortario cum aqua destillata tritus, illam non inquinans, in cochleari ferreo, super ignem non decrepitat. Totus avolat, nullo metallo relicto, in acido nitri nihil demittit, aceto concentrato, si cum eo teritur, nullam dulcedinem conciliat, trituratione solidis, aut unguinosis colorem nigrum affricat.

MEZEREI cortex, radix. *Daphne mezereum* L. cl. VIII. Ord. Monogyn. Frutex in Rossia septentrionali, et Sibiria spontaneus.

Odor corticis sicci nullus.

Sapor si diu masticatur valde acris, fauces exurens, recentis acerrimus, inhaerens.

Virtus in pauca dosi resolvens, in maiori drastica, cardialgica, deurens.

Usus Exutorium fonticulorum, tumores scirrhosi et venerei: ut tophi venerei, dolores nocturni, tumores tonsillarum, testiculorum, colli, parotidum, ulcera venerea, acres humores alicubi stagnantes.

Dosis. Radicis mezerei drachmae duae, totidem liquiritiae cum aquae libris tribus ad libras duas decoctum, quod per diem consumitur; Cataplasma ex decocto hocce, et farina; Corticis sicci, aceto vini, vel aqua, per octo, vel decem horas, macerati frustum, longitudinis pollicis, latitudinis sex, vel octo linearum, imponitur plerumque brachio, subter loco, cui inseritur musculus deltoideus, vel aliis partibus, pro sciti medici indicatione, et spleniolo tectum, fascia firmatur.

Praeter hunc fruticem, aliae adhuc Daphnes sunt species, quae corticem viribus priori supparem erogant, ut: *Daphne Thymelaea*, *Daphne Gnidium* L. et hicce est cortex verus (ecorce de garou) Gallorum, et *Daphne laureola* L.

MILLEFOLII herba, flores. *Achillea millefolium* L. cl. XIX. Ord. Polyg. superfl. Planta perennis in tota Rossia per campos, et in pascuis, vulgaris.

Odor foliorum et florum subaromaticus.

Sapor subadstringens, amaricans.

Virtus tonica, detergens.

Usus. Haemoptysis, haemorrhoidalis nimius fluxus, ulcera, obstructio mensium, colica flatulenta, pollutio nocturna, nervosae affectiones.

Dosis. Drachma una cum aquae unciis quatuor infusum.

Oleum destillatum viribus ad oleum chamomillae proxime accedit, tanquam anodynum, antispasmodicum, carminativum celebre.

MILLEFOLII NOBILIS herba, flores. *Achillea nobilis* L. cl. XIX. Ord. Polyg. superfl. Planta subperennis in australibus, ad Volgam spontanea.

Odor camphoraceus, et manifestius aromaticus.

Haec planta praecedenti speciei utique praeferenda est.

MILLEPEDES. *Oniscus asellus* L. cl. V. Insecta aptera. Antiquorum murorum et parietum civis.

Odor nullus.

Sapor leniter salsus.

Virtus diuretica, incidens, aperiens.

Usus. Hydrops, icterus, asthma, dysuria, nephritis, obstructio viscerum.

Dosis. Millepedum recentium centum succus cum iuris libra una.

MINIUM est calx plumbi ad rubedinem calcinata.

Odor nullus.

Sapor dulcescens.

Virtus adstringens, exsiccans, cum oleo plastica.

Usus. Oleum cum minio dat massam plasticam, quae multorum emplastrorum basis est.

MORI baccae, seu morum; Cortex radicis. *Morus nigra* L. cl. XXI. Ord. Pentandr. Arbor colitur in hortis australis Rossiae, praecipue Kiowiae copiosa.

Odor corticis graviusculus.

Sapor intense amarus, subsalsus. Baccarum recentium odor vix ullus. Sapor acido-dulcis.

Virtus corticis adstringens, anthelmintica; Baccarum refrigerans, restringens.

Usus Corticis. Taeniae. Baccarum. Febres, angina, scorbutus, aphtae.

Dosis. Corticis in pulvere ad grana triginta, vel in infuso ad drachmam unam; Baccarum, in forma roob, vel syrupi, uncia una.

MOSCHATA NUX; MACIS; OLEUM NUCISTAE EXPRESSUM. *Myristica moschata.* Thunberg. act. Holm. 1782. Arbor insulae Moluccae, praesertim Bandae.

Odor Nucis myristicae fragrans, gratus.

Sapor aromaticus, subpinguis, linguam blande pungens, et os grato calore replens.

Odor Macidis, quae est membrana nucis moschatae pulposa subpinguis chermesini coloris in lacinias lineares ramosas fissa, sicca-

tione luteo-sanguineum colorem induens, fragrantior nucleo.

Sapor item fortior, magis aromaticus, acris, calidus.

Odor Olei nucum.

Sapor idem sed pinguior.

Virtus stomachica, anodyna, refrigerans, calefaciens, carminativa.

Usus. Laxitas ventriculi et intestinorum, profluvia alvi, colici dolores vehementes, vomitus, tormina.

Dosis. Nuclei drachma dimidia in miscela commoda; Oleum praecipue hac in re abdomini illinitur; Macidis scrupulus unus.

MOSCHUS est substantia sebacea, in folliculo ad umbilicum sito *Moschi moschiferi* L. cl. I. Mammalia; Pecora. In Sibiria, Tataria, China, India orientali, praecipue Tunquin.

Odor proprius fragrantissimus, substantiis, quas penetrat, pertinacissime inhaerens.

Sapor amarus, subacris.

Virtus nervina, antispasmodica, refocillans.

Usus. Hysteria, rabies, convulsiones, hydrophobia, deliria, colica flatulenta, dysphagia paralytica et spasmodica, tussis convulsiva, exanthemata retropulsa.

Dosis. A granis quatuor ad scrupulum unum cum saccharo.

Moschus ad nos provehitur in vesiculis pilis rigidis obsessis; Albae nostrates; Badiae a

China, et Tunquin, seu orientales nominantur.

MYRRHA, sive GUMMI MYRRHAE, plus longe gummi, quam resinae habens, et oleo aethereo scatens, arboris hucusque ignotae. Ex Abyssinia et Arabia venit. Hoc genuinum gummi constat ex condensatis depluentibus guttis induratis, rubro-brunnis, subpellucidis, solidis fragilibus, externa superficie inaequalibus, fractura subnitente in speciminibus maioribus, interne saepe distinguitur particulis albidis, quae maculas in fractura, seu ungues, sive strias semicirculares referunt.

Odor fragrans, gratus.

Sapor intense amarus, pungens, subaromaticus.

Virtus antiseptica, anticariosa, vulneraria, emmenagoga, stomachica.

Usus. Obstructio mensium, ulcera cariosa, putrida, gangraena, asthma humidum, tussis inveterata, pituitosa diathesis.

Dosis. A granis quatuor ad scrupulum unum; externe cum aqua calcis iniectio, fotus.

MYRTILLI baccae. *Vaccinium myrtillus* L. cl. VIII. Ord. Monogyn. Fruticulus in Rossia septentrionali frequens.

Odor recentium nullus.

Sapor acidulus, subadstringens, siccatarum magis adstringens.

Virtus refrigerans, adstringens.

Usus. Diarrhoea, scorbutus, haemoptysis.

Dosis. Siccatarum uncia dimidia ex aquae unciis octo ad uncias quatuor decoctum.

NASTURTII AQUATICI herba recens. *Sisymbrium nasturtium* L. cl. XV. Ord. Silicul. Planta biennis crescens ad rivos et fontes spontanea.

Odor recentis tritae volatilis, proprius.

Sapor subamaricans, leviter acriusculus.

Virtus antiscorbutica, attenuans, resolvens, diuretica.

Usus. Scorbutus, carus pituitosus frigidus, febris tertiana soporosa, obstructiones viscerum, tussis rebellis, phthisis purulenta.

Dosis. Succus expressus ad aliquot uncias.

Non substituatur *Cardamine pratensis* L. in locum Nasturtii nostri.

NICOTIANAE, sive TABACI folia. *Nicotiana tabacum* L. cl. V. Ord. Monogyn. Planta annua copiosissima in Ucrania colitur.

Odor gravis, peculiaris, ingratus.

Sapor acris, nauseosus.

Virtus narcotica, resolvens, inebrians, antispasmodica, sternutatoria, emetica, repellens.

Usus. Pertinacissimae alvi constipationes, ileum, hernia incarcerata absente inflammatione, iliaca passio, colica spasmodica, aqua suffocati, plurimae causae vires vitales opprimentes; Externe, fumus Nicotianae clysmatis in modum applicatur mediante certo instrumento.

Augusto et Septembri mensibus folia collecta probeque siccata flava, non viridi, nec atro colore deturpata, multo minus contorta, in usum trahantur.

NITRUM COMMUNE. NITRAS POTASSAE. *Nitrum nativum* L. cl. Minerae, Salia. Est sal neuter ex acido nitri et alcali fixo vegetabili constans, in Rossia australi, ex propriis terris peculiari ratione excoquitur, depuratum crystallos prismaticos hexaedros efformans.

Odor nullus.

Sapor amaricans, refrigerans.

Virtus attenuans, solvens, antiphlogistica, diuretica, antiseptica, sublaxans.

Usus. Febris inflammatoria, putrida, spasmi abdominales, gonorrhoea, mania cum febri vehementi, haemorrhoides inflammatoriae, haemorrhagiae.

Dosis. A scrupulo uno ad duos; Externe frigida cataplasmata.

OLIBANUM seu THUS est gummi resina ex *Junipero lycia* L. cl. XXIV. Ord. Monandr. Arbor in Sibiria, utraque Arabia crescens.

Odor gratus.

Sapor acris, amarus.

Virtus roborans, discutiens.

Usus. Suffitus, emplastra.

OLIVARUM oleum. *Olea europaea* L. cl. II. Ord. Monogyn. Arbor in Europa australi locis apricis.

Odor levissimus.

Sapor mitissimus.

Virtus leniens, relaxans, lubricans, emolliens.

Usus. Venena, nephritis, enteritis, pleuritis, tussis, colica pictonum et lochialis, acria ingesta, morsus viperae, tenesmus, morsus apum, vesparum, aliorumque insectorum, tormina, arthritis vaga, strictura intestinorum, stranguria; extus ascites.

Dosis. Ab uncia una, ad tres, supraque.

OPIUM, est massa resinoso-gummosa coloris rubicundo-bruni, quae, vel incisione sola immaturarum capsularum, elicitur, aere condensatur, et tunc opium purissimum, seu Thebaicum, seu lacryma opii dicitur; vel ex decocto capsularum educitur; vel denique ex decocto totius plantae exprimitur, inspissatur, et Meconium audit. *Papaver somniferum* L. cl. XIII. Ord. Monogyn. Planta annua in Arabia, Persia, et hortis nostris colitur.

Odor virosus, fortis.

Sapor primum nauseosus et amarus, paulo post acris, calidus, calorisque sensu labia, linguam, palatum afficiens.

Virtus princeps anodyna, antispasmodica, narcotica.

Usus. Typhus Culleni, pervigilia, dolores et excretiones nimiae, spasmi intestinorum, ileus, colica violenta, cholera, nausea et vomitus gravidarum, hernia incarcerata, inflammationes post operationes chirurgicas, laesiones

capitis cum commotione cerebri, variolae confluentes, colica pictonum, malum ischiaticum, dolores post partum pertinaces, tetanus, emprosthotonus, opisthotonus, pleurosthotonus, hydrophobia, rabies canina, asthma spasticum, nimia nervorum sensilitas, epilepsia, dysenteria catarrhalis, diarrhoea symptomatica, haemorrhagiae gravidarum, hydrops, gangraena senilis, ulcera mali moris, syphilis, stranguria molestissima.

Usus. A grani quarta parte ad grana duo.

ORIGANI VULGARIS herba cum floribus. *Origanum vulgare* L. cl. XIV. Ord. Gymnosp. Planta perennis in tota Rossia spontanea.

Odor siccae et recentis fragrans, ad Majoranam accedens.

Sapor acris, aromaticus.

Virtus discutiens, incidens, emmenagoga.

Usus. Tussis absque febre, asthma, oedema, chlorosis.

Dosis. Drachma una cum aquae unciis quatuor infusum.

Olei exigua pars destillatione obtinetur.

ORYZAE semen decorticatum. *Oryza sativa* L. cl. VI. Ord. Monogyn. Planta annua colitur ubique in Indiae et Japoniae inundatis.

Odor nullus.

Sapor farinaceus.

Virtus nutriens obvolvens, alvum nimis laxam constipans.

Usus. Variae acrimoniae, fluxus alvi a pure ex ulceribus absorpto.

Dosis. Unciae duae cum aquae libris tribus ad uncias viginti decoctum.

OVI GALLINAE albumen, vitellus, a Femella *Phasiani Galli* L. cl. II. Aves. Gallinae.

Odor albuminis ovi nullus.

Sapor fatuus, gèlatinosus.

Virtus plastica, demulcens.

Usus. Excoriatio a decubitu, item varii labores pharmaceutici.

Vitellus est pars flava ovi, cuius

Odor nullus.

Sapor gelatinosus.

Virtus emolliens, relaxans, subigens oleosa cum aquosis.

Usus. Ambustiones, et ulcera vesicatorio inducta.

OXYCOCCI baccae. *Vaccinium oxycoccos* L. cl. VIII. Ord. Monogyn. Fruticulus in Rossia septentrionali et Sibiria crescens.

Odor vix ullus.

Sapor acidulus et gelu adustarum baccarum acidulo-gratus.

Virtus refrigerans, antiscorbutica.

Usus. Febrium aestus.

Dosis. Succi unciae duae cum libra una aquae addita commoda sacchari portione; vel crudae cum saccharo eduntur.

PAEONIAE radix. *Paeonia officinalis* L. cl. XIII. Ord. Digyn. Planta perennis ubique in hortis colitur.

Odor gravis, ingratus.

Sapor primum dulcescens, dein ingrate amarus.

Virtus antispasmodica.

Usus. Convulsiones.

Dosis. A drachma dimidia ad scrupulos duos.

PASSULAE MAJORES sunt uvae siccatae *Vitis viniferae* L. cl. V. Ord. Monogyn.

Odor nullus.

Sapor subacidulo-dulcis.

Virtus antibiliosa, antiscorbutica, refrigerans.

Usus. Morbi biliosi, scorbutici, inflammatorii.

Dosis. Uncia una cum aquae libra una ad uncias octo decoctum.

PASSULAE MINORES, seu CORINTHIACAE, sunt baccae siccatae. *Vitis viniferae apyrenae* L. cl. V. Ord. Monogyn. Patria eius est non solum Corinthus, sed etiam Zacynthia, Cephalonia et aliae insulae maris Jonici.

Odor vix ullus.

Sapor dulcis cum acore, nigricantium dulcissimus.

Virtus demulcens, refrigerans, lubricans.

Usus. Tussis languentibus pleuriticorum sputis, stranguria.

Dosis. Uncia una cum aquae libra una ad uncias octo decoctum.

PECURIM, seu PICHURIM faba. Ex *Lauro* quadam? in regno Paraguay crescente.

Odor fragrans, Sassafras referens, inhaerens.

Sapor aromaticus.

Virtus stomachica, adstringens.

Usus. Dysenteriae castrenses, vomitus pertinaces, fluor albus.

Dosis. A granis decem ad scrupulos duos, bis, ter, quater de die.

PETROLEUM, seu OLEUM PETRAE. *Bitumen petroleum* L. Est bitumen liquidum, ex terrae visceribus scaturiens, empyreuma olens, gustu acre, fitque colore albo, rubro, nigroque.

Album petrae oleum. Quod est genuinum seu proprie Naphtha dicitur, estque fortioris, reliquis, et minus nauseosi odoris, aqua et spiritu vini indissolubile et frigore non cogitur, sed aetate evadit flavum. In Persiae Bacu datur copiosissimum.

Rubrum petrae oleum. Cuius fluiditas coloris magis, minusque fit diluti, odorem et saporem habet penetrantem, in Gallia, et Italia reperitur.

Nigrum petrae oleum, est reliquis spissius, et gravius olens, in gubernio Astrachanensi prope fluvium Terek.

Virtus naphthae calefaciens, resolvens.

Usus. Externe perniones, tumores indurati, tophi; interne colica pictonum, taeniae.

Dosis. Guttulae decem ad triginta cum syrupo; sive, in pulvere, a granis decem ad viginti.

PETROSELINI semina, herba recens, radix. *Apium petroselinum* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta biennis ubique hortensis.

Odor et *Sapor* totius stirpis calidus, aromaticus, seminum autem magis eminens.

Virtus aperiens, diuretica.

Usus. Icterus, suppressio urinae.

Dosis. Radicis drachmae sex cum aquae libra una ad uncias octo decoctum; Herbae recentis uncia dimidia ex iuris libra una ad uncias octo decoctum; Seminis drachmae duae cum aquae unciis sex infusum.

PHELLANDRII, seu FOENICULI AQUATICI semen. *Phellandrium aquaticum* L. cl. V. Ord Digyn. Planta biennis in fossis ad lacus frequens.

Odor gravis.

Sapor aromaticus, acris.

Virtus stimulans, resolvens.

Usus. Ulcera sordida, scorbutica, cacoëthica, spina ventosa, ossium caries, lactei tumores.

Dosis. Ad drachmam unam in pulvere bis de die datur; externe cataplasma.

PHYTOLACCAE herba recens, radix. *Phytolacca decandra* L. cl. X. Ord. Decagyn. Planta perennis in Virginia, Italia, Helvetia et horto nostro botanico sponte crescit.

Odor nullus.

Sapor acris, corrosivus.

Virtus. Anticancrosa.

Usus. Cancer apertus, et vitia cancro similia.

Dosis. Succus expressus ex tota stirpe, caloris solaris ope in speciem unguenti densatur, quo ipso, vel foliis conquassatis pars cancrosa contegitur.

PIMPINELLAE ALBAE radix. *Pimpinella saxifraga* L. cl. V. Ord. Digyn. Planta perennis in tota Rossia spontanea.

Odor radicis recentis fragrans.

Sapor intense acris, calidus.

Virtus resolvens, diaphoretica, stomachica, diuretica.

Usus. Anorexia, angina pituitosa et aquosa, paralysis linguae.

Dosis. Drachmae duae cum aquae unciis quatuor infusum.

PINI Turiones; TEREBINTHINA COMMUNIS; PIX NIGRA SOLIDA, NAVALIS; PIX LIQUIDA. *Pinus sylvestris* L. cl. XXI. Ord. Monadelph. Arbor per totam fere Rossiam crescit frequentissima.

Odor, Sapor, Virtus, Usus, Dosisque Turionum. Vid. Abietis turiones.

TEREBINTHINA COMMUNIS, est balsamus naturalis, consistentia mellis, opaca, sordida, coloris bruno-albi, ex sauciata praefixa arbore elicitur.

Odor et *Sapor* ingratus.

Virtus stimulans, resolvens, diuretica.

Usus. Emplastra, unguenta, oleum terebinthinae.

PIX SOLIDA, NAVALIS, SUTORIA, est resina nigra, quae destillatione per descensum ex dicta arbore, vel ex Pice liquida ad siccitatem excocta paratur.

Odor fragrans, plerisque ingratus.
Sapor amarus.
Virtus adhaesiva, rubefaciens.
Usus Varia emplastra.

PIPER ALBUM et NIGRUM. *Piper nigrum* L. cl. II. Ord. Trigyn. Frutex in India orientali, Molucca, Java, praecipue Sumatra colitur. Nigrum est semen immaturum, album vero est maturum, pellicula sua externa privatum.

Odor aromaticus.
Sapor fervidus, acris, inhaerens.
Virtus stimulans, calefaciens.
Usus. Ciborum digestio labefactata, prolapsus uvulae.
Dosis. Sex ad duodecim semina mane sumuntur.

PLUMBUM, SATURNUS. *Plumbum nativum* L. cl. II. Minerae, Metalla. Sub forma variarum glebarum passim occurrit.

Odor metallicus, peculiaris.
Sapor similis.
Virtus adstringens, exsiccans, obstipans.
Usus. Calces plumbi; solutiones plumbi; salia saturnina; cerata; emplastra saturnina.

POLYGALAE AMARAE herba, radix. *Polygala amara* L. cl. XVII. Ord. Octandr. Planta perennis in Rossia australi.

Odor radicis et herbae nullus.

Sapor amaricans, acidulus, mucilagineus, praecipue corticis radicis.

Virtus roborans, consolidans, demulcens.

Usus. Phthisis, ulcera pulmonum, tussis, hydrops, arthritis.

Dosis. Radicis drachma dimidia ad integram in pulvere bis de die; vel radicis unciae tres cum aquae libris tribus ad consumtionem dimidiae partis decoctum, quod per diem exhauritur.

Folia efficaciora sunt sua radice.

POLYPODII radix. *Polypodium vulgare* L. cl. XXIV. Ord. Filices. Perenne in Gubernio Astrachanensi ad thermas, et in nova Rossia trans Borysthenem spontanea, et in quercuum ramis.

Odor nullus.

Sapor initio dulcis, dein nauseose amarus et adstringens.

Virtus resolvens, demulcens.

Usus. Mania, morbi pectoris.

Dosis. Unciae duae cum libris sex aquae coquantur, donec superessent tres; sed plures solo eius infuso acquiescere amant.

PRUNA DAMASCENA, PRUNORUM Pulpa. *Prunus domestica* L. cl. XII. Ord. Monogyn. In Ucrania copiosa arbor.

Odor nullus.

Sapor acido-dulcescens.

Virtus refrigerans, eccoprotica, solvens, antibiliosa.

Usus. Diaeta febrilis, obstructio alvi, morbi biliosi.

Dosis. Pulpae unciae duae ad tres.

PSYLLI semen. *Plantago psyllium* L. cl. IV. Ord. Monogyn. Planta annua in arenosis locis circa Don, Kumansk, et in Calmuccorum desertis copiosissime crescit.

Odor nullus.

Sapor initio nauseoso-mucilagineus, dein acris.

Virtus obtundens, relaxans.

Usus. Ophthalmia, fissurae; In mucilaginis forma extus usurpatur.

PTARMICAE radix, herba cum floribus. *Achillea ptarmica* L. cl. XIX. Ord. Polygam. superfl. Planta perennis per totam Rossiam obvia in pratis subhumidis.

Odor nullus.

Sapor acris.

Virtus sialagoga, sternutatoria.

Usus. Odontalgia, angina pituitosa.

PULEGII herba. *Mentha pulegium* L. cl. XIV. Ord. Gymnosp. Planta perennis hortensis.

Odor recentis et siccae fragrans, spirituosus, graviusculus.

Sapor aromaticus, calidus, linguam calefaciens, camphoratus.

Virtus stimulans, resolvens, errhina, pectoralis, stomachica, emmenagoga, diuretica.

Usus. Asthma, hysteria, obstructio mensium, raucedo.

Dosis. Drachma una cum aquae unciis quatuor infusum.

PULSATILLAE NIGRICANTIS herba. *Anemone pratensis* L. cl. XIII. Ord. Polyg. Planta perennis vernalis in sterilibus campis Rossiae, et Sibiriae crescens.

Odor recentis vix ullus.

Sapor acris, inhaerens, masticando linguam corrodit, siccae sapor primo herbaceus, tandem acris, diu inhaerens.

Virtus diuretica, stimulans.

Usus. Variae oculorum affectiones, cataracta, paralysis, symptomata venerea, ut: dolores artuum nocturni, tophi, ulcera pudendorum, faucium, linguae, caries, testiculus induratus, condylomata.

Dosis. Extracti cum saccharo a granis duobus ad sex, septem, octo ad drachmam unam, per diem.

PYRETHRI radix. *Anthemis pyrethrum* L. cl. XIX. Ord. Polygam. superfl. Planta perennis Europae calidioris, Arabiae, Syriae, regni Tunquensis.

Odor siccae nullus.

Sapor fervidus, initio non perceptibilis.

Virtus apophlegmatizans.

Usus. Odontalgia, paralysis linguae.

Dosis. Vel radicis drachma una masticatur, vel drachmarum duarum decocto os colluitur.

Pyrethri succedaneum habetur: *Cachrys odontalgica*, et *Achillea ptarmica* L.

QUASSIAE lignum. *Quassia amara* L. cl. X. Ord. Monogyn. Arbor in Surinamia, Cayanna, et in insula Antillana Danicae potestatis St. Croix ad oras fluviorum.

Odor nullus.

Sapor intense amarus ligni corticis, sed corticis radicis longe amarior.

Virtus tonica, stomachica, antiseptica.

Usus. Febres remittentes et intermittentes, biliosae, laxitas intestinorum et virium concoctricium debilitas, spasmus oesophagi, colica flatulenta, hysteria, arthritis, diabetes, haematuria rebellis.

Dosis. Drachma una cum aquae unciis duodecim infusum; Vel uncia dimidia in aquae purae libris sex ad dimidiam consumtionem decoquitur, atque, quovis bihorio, unciae tres propinantur.

QUERCUS cortex, folia. *Quercus robur* L. cl. XXI. Ord. Polyandr. Arbor Rossiae australis civis.

Odor totius arboris vix ullus.

Sapor acerbus, stypticus.

Virtus peradstringens, roborans.

Usus Corticis et foliorum. Prolapsus, angina, erysipelas, scrophulae.

Dosis. Pulveris a granis viginti ad triginta; in infuso drachmae duae; Extus, fotus, collutiones.

RANUNCULI ALBI flores, et herba recens. *Anemone nemorosa* L. cl. XIII. Ord. Polygyn. Planta annua verna in nemoribus et dumetis habitans.

Odor debilis.

Sapor acris, fauces stimulans.

Virtus rubefaciens, vesicans.

Usus. Tertiana vernalis, tinea capitis, hemicranium, rheumatismus dorsalis; Extus contusa folia bis per diem applicantur, tempore frigoris febrilis ad carpum, in caeteris affectionibus ad partes affectas.

Eundem effectum edunt *Ranunculus acris, Ranunculus palustris, Lanuginosus, Bulbosus, Sceleratus, Arvensis, Flammula, Lingua* L.

RASURA CORNU CERVI. *Cervus Elephas* L. cl. I. Mammalia. Pecora. In Rossia australi et in alpinis Sibiriae. Alce, in Rossia temperata et Sibiria. Tarandus, in Rossia septentrionali et summis alpibus Sibiriae.

Odor nullus.

Sapor terreo-gelatinosus, pinguis, oleosus.

Virtus demulcens, sudorifera, nutriens.

Usus. Varia praeparata.

RHABARBARI vel RHEI radix. *Rheum palmatum* L. cl. IX. Ord. Trigyn. Planta perennis,

ex China adfertur, cultura in Rossia temperata tentatur.

Odor siccae gravis, specificus, subnauseosus.

Sapor amaricans, subnauseosus, subacris cum adstrictionis aliquo sensu.

Virtus purgans, antacida, adstringens, tonica, antiseptica, stomachica, diuretica, urina luteo-rubicunda.

Usus. Diarrhoea, dysenteria, colica, febris lenta infantum, fluor albus, saburra intestinorum, aphtae, hypochondriasis, rhachitis, affectiones hepatis.

Dosis. A scrupulo uno ad drachmam unam in pulvere; drachmae duae cum aquae unciis quatuor infusum.

RHABARBARI SIBIRICI radix. *Rheum undulatum* L. cl. IX. Ord. Trigyn. Planta perennis in Sibiria inter fluvium Ienisey et lacum Baikal ad oras lapidosas fluviorum, et alio solo saxoso crescit.

Odor tenuis.

Sapor amarus cum quadam acrimonia adstringente.

Virtus et *Usus* Rhabarbari veri, dummodo maiori dosi sumatur, nempe duae drachmae pulveris; drachmae quatuor cum aquae unciis sex infusum.

RHODODENDRI folia et stipites. *Rhododendron chrysanthum* L. cl. X. Ord. Monogyn. Frutex in alpibus nivalibus totius Sibiriae, ad Ie-

niseam et Baikalem, in Camczatka, et in insula Beringii.

Odor siccorum ad rhabarbarinum nonnihil inclinans.

Sapor austerus cum notabili amaritie et acritate.

Virtus narcotica, irritans, antarthritica, diuretica, sudorifera.

Usus. Arthritis, rheumatismus, ischias, podagra, paralysis pedum, dolores artuum venerei.

Dosis. Rp. Stipitum et foliorum Rhododendri drachmas duas, ad unciam dimidiam, infunde aquae fluviatilis uncias novem, digeratur in vase bene obturato per viginti quatuor horas. Colaturae dimidium vasculum theanum semel, bis, ter, de die, capiatur.

RIBESIORUM NIGRORUM baccae, folia cum stipitibus. *Ribes nigrum* L. cl. V. Ord. Monogyn. Frutex in boreali Rossia et Sibiria ferus, ad stagnorum et fluviorum ripas, et hortis copiosus.

Odor recentis et sicci totius fruticis fragrans, fere cimicum, baccis etiam non exclusis.

Sapor baccarum recentium dulcescenti-acidulus; Foliorum sapor subausterus.

Virtus foliorum mundificans, pellens, diuretica, sudorifera; Baccarum refrigerans.

Usus. Angina pituitosa, dysenteria; rheumatismus.

Dosis. Folia instar theae; Baccae vero in forma roobis exhibentur.

RIBESIORUM, RIBIUM RUBRORUM Baccae. *Ribes rubrum* L. cl. V. Ord Monogyn. Frutex in boreali Rossia in locis submontanis sponte crescens, et in hortis.

Odor recentium vix ullus.

Sapor submucilaginosus acido-dulcis.

Virtus refrigerans, antiseptica, solvens.

Usus. Febres continuae, inflammatoriae, biliosae, putridae.

Dosis. Comeduntur crudae, vel conditae, ad unciam dimidiam et ultra.

RICINI VULGARIS, CATAPUTIAE MAIORIS semina. *Ricinus communis* L. cl. XXI. Ord. Monadelph. Planta annua in Rossiae temperatae hortis copiose crescit. Oleum e seminibus demto cortice pressum vocatur oleum Palmae Christi, de Kerva, quod genuinum est crassum et viscosum, recentius et melius est subopacum, quam illud diaphanum, et coloris crocei.

Odor recentis olei nullus.

Sapor blandus.

Virtus purgans anthelmintica, blanda diuretica.

Usus. Hernia incarcerata, taeniae, volvulus, colica nephritica, et pictonum, calculosae affectiones, pertinax alvi obstructio, cardialgia cum vomitu, dysenteria, asthma a vaporibus saturninis.

Dosis. Ab uncia dimidia ad unciam unam adultis; a drachma una ad duas infantibus datur; extus ventri inungitur.

ROSAE DAMASCENAE et RUBRAE flores. *Rosa centifolia* et *Rosa gallica* L. cl. XII. Ord. Polygyn. Frutex in omni fere horto hospitatur.

Odor recentium petalorum gratus, fragrans.

Sapor subdulcescens, amarus, substypticus.

Virtus adstringens, tonica.

Usus. Varia praeparata, ut: Aqua rosarum, Conserva rosarum, Mel rosarum etc.

ROSAE SYLVESTRIS CYNOSBATOS fructus. *Rosa canina* L. cl. XII. Ord. Polygyn. Frutex in sepibus et ad margines viarum frequens.

Odor nullus.

Sapor baccae maturae acidulus, dulcis; siccae acidior.

Virtus subadstringens, diuretica, refrigerans, antiseptica.

Usus. Acuti morbi, hydrops, diarrhoea biliosa, dysenteria, haemorrhagia uteri.

In forma conservae, vel decocti baccae exacinatae exhibentur.

RORISMARINI HORTENSIS herba, anthos, flores. *Rosmarinus officinalis* L. cl. II. Ord. Monogyn. Frutex in Rossia temperata et australi hortensis.

Odor fragrans, fortis.

Sapor calidus, acris, camphoraceus.

Virtus resolvens, nervina, corroborans, emmenagoga.

Usus. Sugillationes, oedemata, paralysis, asthma pituitosum, hysteria, diarrhoea chronica,

gangraena, infarctus glandularum colli, plica polonica, chlorosis.

Dosis. Drachma una cum aquae unciis quatuor infusum, seu decoctum; Externe potius sacculi, vel epithemata fiunt.

Ex floribus Anthos aqua Hungarica cum spiritu vini destillatione obtinetur.

RORISMARINI SYLVESTRIS herba. *Ledum palustre* L. cl. X. Ord. Monogyn In Rossia temperata et boreali, hicce fruticulus sponte crescit.

Odor gravis, subaromaticus.

Sapor subamarus, subadstringens.

Virtus resolvens, diuretica.

Usus. Lepra nodulosa, tussis convulsiva, tinea, scabies, arthritici dolores.

Dosis. A drachmis tribus ad quatuor cum aquae libra una decoctum; Externe lotiones.

RUBIAE TINCTORUM radix. *Rubia tinctorum* L. cl. IV. Ord. Monogyn. Planta perennis in Rossia australi spontanea, et colitur Astrachani copiose.

Odor contusae radicis fere incidens in corticem sorbi.

Sapor subamarus.

Virtus resolvens, diuretica, emmenagoga, diutius propinata inficiens ossa et humores colore kermesino.

Usus. Calli ossis fracti mollities, ulcera et tumores rachitici, rachitis, icterus pertinax,

obstructio mensium, cachexia et visciditas humorum.

Dosis. Uncia una in decocto per diem, drachma dimidia pulveris omni trihorio exhibetur.

RUBI ARCTICI baccae; *Rubus arcticus* L. cl. XII. Ord. Polygyn. Planta perennis in Rossia boreali et Sibiria spontanea.

Odor recentium fragrans, suaveolens, vinosus, gratissimus.

Sapor acidulo - vinosus.

Virtus refrigerans, analeptica, humectans, antiseptica, antiscorbutica.

Usus. Febrium aestus, scorbutus.

Dosis. Pro lubitu crudae, vel saccharo conditae comeduntur.

RUBI IDAEI baccae. *Rubus idaeus* L. cl. XII. Ord. Polygyn. Frutex in Rossia septentrionali ferus et hortensis.

Odor recentium grate fragrans.

Sapor acidulo - dulcis.

Virtus refrigerans, analeptica.

Usus. Sitis febrium, aestus.

Crudae vel in forma roobis vel syrupi exhibentur.

Paris efficaciae sunt baccae *Rubi caesii*, *Rubi fruticosi*, et *Rubi chamaemori* L.

RUTAE herba. *Ruta graveolens* L. cl. V. Ord. Monogyn. Suffrutex hortorum civis.

Odor gravis, fragrans.

Sapor stimulans, calidus, amaricans, siccae debilior.

Virtus antispasmodica, resolvens, carminativa, sudorifera, rubefaciens.

Usus. Ozaena, parulis, ulcera verminosa, hysteria, affectiones nervorum a nimia sensilitate.

Dosis. Uncia dimidia cum aquae fluviatilis libra una infusum; Extus iniectio, collutoria, succo recens expresso ulcera deligantur.

SABADILLAE semen. *Veratrum sabadilla.* Retzii. Planta Mexicana.

Odor vix ullus, sed pulverisati vehemens errhinus.

Sapor acerrimus, amarissimus, causticus.

Virtus anthelmintica, drastica, irritans, pediculos et cimices necans.

Usus. Taeniae, ascarides, lumbrici, pediculi, cimices.

Dosis. Grana quinque ad drachmam dimidiam cum conserva in bolum redacta, et mane cum melle; scrupulus unus cum syrupo rhei unciis duabus, et dimidium cochlear theanum bis per diem capitur; in clysmate drachmae duae cum aquae unciis decem ad colaturam unciarum septem coquuntur, et aequali copia lactis miscentur; Extrinsecus axungia exceptum capiti inungitur.

Alia securiora remedia, in morbis enarratis, huic infido drastico, imo toxico praeferenda sint.

SABINAE folia. *Juniperus sabina* L. cl. XXII. Ord. Monadelph. Arbor humilior crescens locis excelsis Sibiriae.

Odor gravis, resinosus, ingratus.

Sapor amarus, calidus.

Virtus emmenagoga, anthelmintica, abortiva.

Usus. Scabies, ulcera cancrosa fungosa, gangraena, spina ventosa, caries; Externe inspersio, cataplasma.

SACCHARUM est sal essentialis, albus, crystallinus, per vaporationem et depurationem obtentus praecipue ex *Saccharo officinarum* L. cl. III. Ord. Digyn. Gramen perenne in Africa et Asiae inferiori parte, ut India orientali, et Arabia felici, solo aquoso crescens.

Odor nullus.

Sapor dulcissimus.

Virtus saponacea, antiseptica, pectoralis, vulneraria, resolvens.

Usus. Scorbutus, ulcera inveterata, raucedo, tussis, pannus, maculae corneae, diarrhoea biliosa.

Dosis. Uncia una cum aqua, pluries, de die, exhibetur.

SAGAPENUM, seu SAGAPENI gummi. *Sagapenum.* Ex planta quadam umbellata? Est succus concretus sive in granis minoribus ex rubro flavescentibus, semipellucidis cornu referentibus, quodque est durius; seu in massis maiori-

bus fuscis, sordibus inquinatum. Ex Alexandria et Persia venit.

Odor fortis, ingratus, alliaceus.

Sapor gravis amaricans caloris et acrimoniae sensu linguam vellicans.

Virtus emmenagoga, resolvens, maturans, subeccoprotica.

Usus. Obstructio mensium, tumores duri, scrophulae.

Dosis. Drachma una in emulsione, pilulis. Extus unguenta, emplastra.

SAGU vel SAGO grana. *Cycas circinalis* L. cl. XXI. Ord. Filices. Arbor crescens in insulis Moluccanis praecipue in insula Ceram, frequens; item in reliquis insulis Asiae australioris, nec non in nova Guinea.

Odor nullus nec *Sapor.*

Virtus nutriens, obtundens.

Usus. Phthisis, tabes, arthritis, profluvia varia alvi.

Dosis. Uncia dimidia, cum aquae libra una decoctum.

SAL AMARUS, SULPHAS MAGNESIAE, est sal medius terrestris ex pura magnesia et acido vitrioli constans. Pari modo, huius indolis est Sal catharticus Sibiricus, prius certo modo depuratus. In Confinibus Irkutiae copiosus.

Odor nullus.

Sapor amaricans.

Virtus solvens, purgans.

Usus. Morbi a saburra primarum viarum, hernia a faecibus incarcerata.

Dosis. Uncia una et dimidia ad uncias duas in libra una et dimidia aquae soluta, scopo purgandi datur, alterandi vero ad drachmas duas.

SAL COMMUNIS, s. CULINARIS, MURIAS SODAE, est sal neuter, ex acido salis, et alcali fixo minerali constans. *Muria fontana* L. cl. II. Minerae; Salia. Ex lacubus Krimeae copiosissime obtinetur.

Odor nullus.

Sapor salsus, proprius.

Virtus resolvens, antiseptica.

Usus. Pustulae aliique morbi cutanei, digestio ciborum promovenda, sugillationes; In enemate, stimuli eccoprotici causa, a drachma una ad unciam dimidiam; Fomenta.

Sal decrepitatus aquae maxime bibulus applicatur calidus cruribus hydropicorum.

SALAP radix. *Orchis mascula, morio, militaris, maculata, pyramidalis, latifolia* L. cl. XX. Ord. Diandr. Plantae perennes in Rossia temperata spontaneae.

Odor recentis hircinus.

Sapor vix ullus, bulbus masticatus tener mucilaginosus fere insipidus; Mucilaginis sapor salsus, aquae marinae, vel salis communis aqua soluti.

Virtus nutriens, obtundens, inviscans.

Usus. Dysenteria, ulcus vesicae, excoriatio intestinorum, dysuria, stranguria, tabes, phthisis.

Dosis. Drachma dimidia pulveris; Drachmae duae cum aquae vel lactis unciis decem ad uncias sex decoctum.

SALICIS cortex. *Salix alba*, item, *pentandra, fragilis, vitellina* L. cl. XXII. Ord. Diandr. Arbor sponte in sylvis crescens.

Odor fragrans, gratus.

Sapor adstringens, amarus, balsamicus.

Virtus praecipue adstringens, roborans, antiseptica, anthelmintica, febrifuga.

Usus. Febris intermittens, vermes, debilitas ventriculi, gangraena a decubitu, ulcera gangraenosa et inveterata crurum.

Dosis. A scrupulo uno ad duos quavis hora in pulvere; In decocto unciae duae cum aquae sufficienti quantitate ad colaturam unciarum sedecim; Balneum.

SALVIAE herba. *Salvia officinalis* L. cl. II. Ord. Monogyn. Planta perennis in Rossia temperata hortensis.

Odor fortis, graviusculus.

Sapor amaricans, aromaticus, calidus.

Virtus resolvens, roborans, antiseptica.

Usus. Laxitas viscerum, colica flatulenta, ulcera oris, sudores nocturni, lactis stillicidium, gutta rosacea.

Dosis. Drachmae duae cum aquae unciis octo infusum, cuius unciae duae omni trihorio dantur.

SAMBUCI cortex medianus, seu interior; flores; baccae recentes. *Sambucus nigra* L. cl. V. Ord. Trigyn. Arbor in Rossia australi spontanea et Petropoli persistens.

Odor corticis intermedii recentis ingratus, virosus.

Sapor primum dulcescens, dein amaricans, acris, nauseosus.

Odor florum fortis, non ingratus.

Sapor amaricans.

Odor baccarum recentium debilior.

Sapor acidulus.

Virtus corticis recentis purgans, hydragoga, subemetica; Florum siccorum diaphoretica, lactifera, discutiens; Baccarum sudorifera, refrigerans.

Usus corticis. Hydrops, tumores oedematosi; Florum et Baccarum. Erysipelas, rheumatismus, arthritis, exanthemata.

Dosis. Corticis uncia una cum aquae libra una ad uncias octo decoctum; Florum drachmae duae ad tres cum aquae unciis quatuor infusum; Baccarum, sub forma roobis, uncia una.

SANTONICI, seu CINAE semen. *Artemisia judaica* et *Artemisia contra.* L. cl. XIX. Ord, Polygyn. superfl. Planta perennis, in Palaestina et

Arabia; Postrema species, spontanea in Rossiae desertis salsis, ad mare Caspium.

Odor fortis peculiaris, subnauseosus.

Sapor valde amarus, subacris.

Virtus anthelmintica.

Usus. Lumbrici.

Dosis Scrupulus unus pulveris subtilissimi infantibus; Drachma una adultis cum melle.

SAPO WOLOGDENSIS est massa ex sevo, et cineribus salinis constans, Wologdae, et aliis in urbibus paratur.

Odor vix ingratus.

Sapor pinguis, acriusculus.

Virtus resolvens, irritans, abstergens.

Usus externus. Sordities ulcerum, scabies crustosa, tumores frigidi indurati.

In forma lotionum, fotus, suppositorii adhibetur

SAPONARIAE radix. *Saponaria officinalis* L. cl. X. Ord. Digyn. Planta perennis in Rossia temperata spontanea.

Odor nullus.

Sapor subdulcis, amaricans, subglutinosus.

Virtus saponacea, detergens.

Usus. Tumores rheumatici, arthritici, ulcera sordida, morbi cutanei, icterus.

Dosis. Radicis uncia dimidia cum aquae libra una ad uncias quatuor decoctum.

SARSAPARILLAE radix. *Smilax sarsaparilla* L. cl. XXII Ord Hexandr. Frutex in regno Peruviano, Mexicano, ex Brasilia crescens.

Odor vix ullus.
Sapor farinosus vix amaricans, obvolvens.
Virtus mundificans, resolvens.
Usus. Syphilis, rheumatismus.
Dosis. Unciae tres cum aquae libris tribus ad colaturam librarum duarum, singulo die hauriantur.
Huic radici ut substituantur radices *Caricis arenariae*, et *Graminis* L. ratio et experientia iubent.

SASSAFRAS lignum, CORTEX ligni sassafras. *Laurus sassafras* L. cl. IX. Ord. Monogyn. Arbor Americae meridionalis propria.

Odor ligni fragrans ad foeniculum accedens.
Sapor aromaticus, leniter acris, subdulcis.
Odor corticis *Saporque* sunt fragrantiores.
Virtus resolvens, sudorifera, diuretica.
Usus. Rheumatismus frigidus, podagra, pituitosae affectiones, ascites.
Dosis. Ligni uncia dimidia pro aquae libra una infusum; Corticis drachma una cum aquae unciis sex infusum.

SCAMMONIUM est succus accessu aëris inspissatus, gummoso-resinosus, corruptelae expers, levis est, in fracta superficie splendens, et inter digitos friabilis, attactu digiti humidi luteus statim evadit, aqua solutus, lacteum liquorem coloris viridescentis repraesentans, effluit e vulnerata radice *Convolvuli scammoniae* L. cl. V. Ord. Monogyn. Planta perennis crescens in catena mon-

tium, qui inde ab Antiochia usque ad montem Libanon sese extendunt, in monte Tauro, et in Syria.

Odor nauseosus.

Sapor initio nullus, dein subacris, amaricans, salivam proliciens.

Virtus purgans, hydragoga.

Usus. Morbi chronici robustiorum.

Dosis. A granis quinque ad decem, quindecim.

Resinae scammonii à granis duobus ad octo, cum amygdalis, vel vitello ovi tritae.

Scammonium prostat sub tribus nominibus, I. Aleppense, quod est optimum. II. Smyrnaeum, quod est vilius. III. Antiochenum idque vilissimum.

SCILLAE, seu SQUILLAE radix. *Scilla maritima* L. cl. VI. Ord. Monogyn. Planta perennis Europae calidae et Orientis, locis arenosis propria.

Odor vix ullus.

Sapor intensius amarus, acris, ingratus, diu inhaerens.

Virtus valde stimulans, resolvens, diuretica, anthelmintica.

Usus. Hydrops, asthma, nephritis sabulosa, catarrhus suffocativus.

Dosis. Pulveris recentis grana duo cum cremoris tartari drachma dimidia, ter, quater de die.

SCORDII herba. *Teucrium scordium* L. cl. XIV. Ord. Gymnosp. Planta perennis in Rossia australi spontanea.

Odor Allium cum levi aromate spirans.

Sapor intense amarus.

Virtus roborans, antiseptica, diaphoretica, diuretica.

Usus. Debilitas ventriculi, gangraena, ulcera sordida, herpes.

Dosis. Infusum theaeforme; Externe cataplasma, gargarisma.

SEDI MAIORIS, seu SEMPERVIVI MAIORIS folia virentia. *Sempervivum tectorum* L. cl. XI. Ord. Dodecagynia. Planta perennis in montibus Walday copiose crescit.

Odor recentium debilis.

Sapor subacidus, leniter stypticus.

Virtus refrigerans, adstringens.

Usus. Haemorrhoides, aphtae, ambustiones, ulcera serpentia, clavi pedum, fissurae papillarum nutricum, rhagades linguae febricitantium, ephelides faciei.

Externe folia recentia subcontusa partibus morbosis applicantur, vel in forma linctus.

SENEGAE radix. *Polygala senega* L. cl. XVII. Ord. Octandr. Planta perennis in Virginia, Pensylvania, Marilandia crescens.

Odor nullus.

Sapor primo farinaceus, post subacidus, denique pungens.

Virtus subemetica, diaphoretica, diuretica, expectorans, anticolubrina.

Usus. Morsus Colubri crotalophori et aliorum serpentum, pleuritis, peripneumonia, febris rheumatica, hydrops, asthma humidum.

Dosis. Radicis uncia una cum aquae libris duabus coquitur et huius decocti cochlearia tria quavis hora sorbillanda dantur. In pulvere a granis decem ad triginta.

SENNAE ALEXANDRINAE folia, folliculi. *Cassia senna* L. cl. X. Ord. Monogyn. Planta annua crescit in Aegypto, Arabia, Tripoli, et Italia.

Odor ingratus.

Sapor amaricans, nauseosus, subviscidus.

Virtus purgans.

Usus. Morbi a saburra intestinali.

Dosis. Drachmae tres cum aquae unciis quatuor infusum. Folliculorum sennae eadem dosis.

Alexandrina folia in commercio, de la Palte dicta, sunt optima, quae sunt ovata, superius acuminata, viridia cum suffuso flava Quae ex Tripoli veniunt, prioribus substituuntur, sunt maiora, plane viridia, superius obtusa et aspera. Ea vero, quae ex Italia et Gallia, sunt obtusa lata, pulchre viridia et magnis venis praedita, caeteris debiliora, et saepe cum *Colutea arborescent* L. adulterantur.

SERPENTARIAE VIRGINIANAE radix. *Aristolochia serpentaria* L cl. XX. Ord. Hexandria. Planta perennis crescit in Virginia et Carolina.

Odor fragrans, camphoram spirans.

Sapor amarus, pungens, inhaerens.

Virtus irritans, diaphoretica, antispasmodica.

Usus. Febres lentae nervosae, intermittentes praecipue dum post paroxysmos febriles sudores non veniunt, febris biliosa putrida, angina gangraenosa, gangraena, morsus serpentis, morbi exanthematici.

Dosis. Pulveris a scrupulo uno ad drachmam unam; sive in infuso.

SERPYLLI herba. *Thymus serpyllum* L cl XIV. Ord. Gymnosp. Suffruticulus in australibus Rossiae, et Sibiria spontaneus.

Odor fragrans, gratus.

Sapor aromaticus, subamarus.

Virtus resolvens, nervina, diuretica, emmenagoga.

Usus. Paralysis linguae, stagnantes humores, partes laxae.

Dosis. Drachma una cum aquae unciis quatuor infusum; Externe sacculi, fomenta.

SEVUM BOVINUM. Pinguedo solida ex omento *Bovis tauri.* Et sevum ovillum, pinguedo ovis arietis. L. cl. I. Mammalia; Pecora.

Odor nullus.

Sapor pinguis.

Virtus emolliens, relaxans.

Usus. Unguenta, emplastra.

SILIQUA DULCIS. *Ceratonia siliqua* L. cl. XXIII. Ord. Trioec. Arbor vulgatissima Europae calidae et orientis.

Odor nullus.

Sapor dulcis, melligenus, siccatae siliquae sunt sapidiores, quam recentes.

Virtus edulcorans, expectorans.

Usus. Soda, raucedo, asthma, tussis.

Dosis. Uncia una et dimidia cum aquae unciis octodecim ad libram unam decoctum.

SIMARUBAE cortex. *Quassia simaruba* L. cl. X. Ord. Monogyn. Arbor alta, locis arenosis Cayennae, Guianae et in insula Sandominicana crescens.

Odor nullus.

Sapor amarus.

Virtus tonica, diuretica, stomachica.

Usus. Dysenteria, diarrhoea chronica, colica habitualis deiectionibus cruentis stipata, affectiones coeliacae, obstinata uteri haemorrhagia, fluor albus.

Dosis. Drachma dimidia pulveris; Drachmae duae ad quatuor cum aquae libris duabus ad unam decoctum, cuius quarta pars omni trihorio exhibetur; Extus, iniectio, clysma.

SINAPIS semen. *Sinapis nigra* L. cl. XV. Ord. Siliquosa. Planta annua in Rossia temperata fera et hortensis, Astrachani copiosa colitur.

Odor debilis.

Sapor subamarus, acris.

Virtus rubefaciens, stimulans.

Usus. Scorbutus, cachexia, paralysis linguae, languens eruptio variolarum et morbillorum, suppuratio tumorum aegrius procedens, perniones, arthritici dolores, hydrops.

Dosis. Ad drachmam integram cum aqua; sed praecipue in sinapismo seu cataplasmate epispastico adhibetur.

Semina *Sinapeos albae* L. eandem virtutem possident.

SPATUM PONDEROSUM L. Syst. nat. III. p. 81. SULPHAS BARYTAE. Est sal medius terrestris acido sulphurico et baryta pura constans. Per totam Europam reperitur.

Usus. Praeparata, ut Terra ponderosa salita.

SPERMA CETI. Est pinguedo ex cerebro *Physeteris macrocephali* L. in mari Groenlandico degentis, excocta, lotione, expressione et ope lixivii alcalini depurata et in substantiam albam pinguem e lamellis siccis et splendentibus compositam, sole, et aëre, efformata.

Odor nullus.

Sapor pinguis.

Virtus emolliens, demulcens.

Usus. Fissurae cutis, unguenta, emplastra.

SPIGELIAE ANTHELMIAE herba cum radice. *Spigelia anthelmia* L. cl. V. Ord. Monogyn. Planta annua Americae meridionalis et Brasiliae spontanea.

Odor et *Sapor* foetidus.

Virtus narcotica, purgans, anthelmintica.

Usus. Lumbrici, exinde convulsiones.

Dosis. Adultis drachmae duae cum aquae unciis sex infusum, cuius dimidium vesperi, alterum postridie; in pulvere a scrupulo ad drachmam integram de die, continuatione per aliquot dies facta exhibetur.

SPIGELIAE MARYLANDICAE radix. *Spigelia marylandica* L. cl. V. Ord. Monogyn. Planta perennis crescens in Carolina australi, solo profundiori fertili.

Odor, *Sapor* et *Virtus* praecedentis sed efficacior.

Usus. Febres verminosae, vermes.

Dosis. In pulvere infanti bienni grana duodecim de die bis, in infuso vero grana viginti cum lacte et saccharo; Adultis ad drachmam dimidiam quater per diem, vel ad drachmas duas in infuso.

SPONGIA MARINA. Est habitaculum vermis zoophyti, vel polypi, cellulosum, in mari mediterraneo et rubro obvium, leve, elasticum, coloris citrini, plurimis exiguis foraminibus pervium. *Spongia officinalis* L. cl. VI. Vermes. Zoophyta.

Odor proprius minus gratus.

Sapor nullus.

Virtus humidum absorbens, absorptionem puris impediens. Spongiae ustae resolvens, exsiccans. Praeparatae seu cera penetratae obturans, dilatans.

Usus. Spongiae ustae. Strumae; Praeparatae. Haemorrhagiae.

Dosis. Ustae ad scrupulos duos.

STANNUM. Est omnium metallorum levissimum, parum tenax, facile malleabile, vix elasticum, molle, flexile, in acidis ac alcalibus solubile. *Stannum crystallinum* L. cl. Minerae. Metalla. In Anglia maxime et in Germania reperitur.

Odor inter manus fricti peculiaris.

Sapor metallicus.

Virtus, Usus Dosisque. Vide Part. II. Stannum praeparatum.

STRAMONII herba recens. *Datura stramonium* L. cl. V. Ord. Monogyn. Planta annua Rossiae temperatae in ruderatis spontanea.

Odor virosus, narcoticus, fortior, praecipue in foliis fricatis.

Sapor amarus.

Virtus anodyna, resolvens, antispasmodica, inebrians, nimia dosi venenata.

Usus. Convulsiones, epilepsia, mania.

Dosis. Extracti granum unum bis, ter, vel sexies de die cum camphora, vel extracto amaro in pilulis.

SUCCINUM. *Succinum electricum* L. cl. II. Minerae. Sulphura. Est Bitumen plus minus pellucidum, albidum, vel citrinum, fragile, electricum. Copiosissimum in mari Baltico reperitur.

Odor, si prunis ardentibus iniicitur, fragrans.

Sapor subacris.

Virtus resolvens, discutiens.

Usus. Tumores frigidi, aër impurus; Externe suffitus.

SULPHUR est corpus simplex, combustione sua, sive copulatione cum oxygenio acidum sulphuricum generans. Occurrit passim nativum circa Samaram ad Volgam. Recipi debet flavum in cylindros fusum, quod quidem citrinum dicitur, aut vivum, aut in flores sublimatum.

Odor nisi fricetur nullus, accensi acidus, suffocans, penetrantissimus.

Sapor modo purum nullus.

Virtus resolvens, diaphoretica, anthelmintica.

Usus. Scabies, chronica cutis exanthemata, rheumatismus, arthritis, exanthema retrogressum, asthma humidum, haemorrhoides coecae, obstructio glandularum, mesenterii, rhachitis et atrophia infantum.

Dosis. Grana quinque, decem, viginti, triginta ad drachmam integram; Extus unguenta.

SYMPHYTI seu CONSOLIDAE MAIORIS radix. *Symphytum officinale* L. cl. V. Ord. Monogyn. Planta perennis, in pratis humidis, ad fossas, rivos, ubique frequentissima.

Odor nullus.

Sapor mucilagineus.

Virtus inviscans, emolliens.

Usus. Haemoptysis, diarrhoea, dysenteria, haematuria et stranguria.

Dosis. Uncia dimidia cum aquae unciis octo ad uncias sex decoctum; Fotus, Cataplasma.

TACAMAHACA est gummi resina; quam *Populus balsamifera*? L. cl. XXII. Ord. Octandr. et *Fagara octandra* L. cl. VI. Ord. Monogyn. erogant. Populus balsamifera in Sibiria, praecipue ad Ieniseum; Fagara octandra, in Curaçao Americes, et in insula Francia crescit.

Odor gratus, fragrans, validus in flores Lavendulae incidens.

Sapor leniter amaricans, nauseosus.

Virtus roborans, resolvens.

Usus. Dolores frigidi, hysteria.

Dosis. Externe in forma suffimigii et emplastri.

TAMARINDORUM fructus, pulpa. *Tamarindus indica* L. cl. III. Ord. Monogyn. Arbor crescens in India orientali, Arabia, Aegypto et America calidiori.

Odor subvinosus.

Sapor grate acidus.

Virtus eccoprotica, antibiliosa, refrigerans, antifebrilis.

Usus. Erysipelas, aestus omnis febrilis, colluvies biliosa seu putrida, diarrhoea biliosa, dysenteria epidemica, calculus felleus, ascites.

Dosis. Ad uncias duas.

Pulpa ante usum a fibris, seminibus, membranis purgari debet, quod fit, eius in aqua calida solutione, colatione et post additum

Saccharum inspissatione. Tamarindos cupro inquinatos esse exinde certum est, dum clavus ferreus aut culter, solutioni fervidae immittitur per dimidium horae, et frigefactus colorem cupreum acquirit.

TANACETI herba, semen. *Tanacetum vulgare* L. cl. XIX. Ord. Polyg. superfl. Planta perennis ubique crescens.

Odor fortis, gravis, acutus.

Sapor valde amarus, aromaticus.

Virtus resolvens, roborans, anthelmintica praecipue seminis.

Usus. Vermes, hysteria, arthritis, hydrops, anorexia.

Dosis. Drachma una cum aquae unciis sex infusum; Scrupulus unus ad integram drachmam in pulvere.

TARAXACI radix, herba recens. *Leontodon taraxacum* L. cl. XIX. Ord. Polyg. aequal. Planta perennis ad vias et in pascuis vulgaris.

Odor nullus.

Sapor initio obscure dulcescens, tum amarus.

Virtus solvens, aperiens, diuretica.

Usus. Obstructio viscerum, hydrops, icterus, oedema crurum, herpes, scrophulae.

Dosis. Unciae duae succi recentis cum iusculo per plures septimanas; Vel herbae et radicis recentis uncia una cum libra una iusculi ad uncias octo decoctum; Extracti a granis decem ad drachmam unam.

TARTARUS VINI est sal neuter acidulus proprio acido et potassa constans, spontaneo ex vinis secessu obtinetur, a partibus extractivis et colorantibus coctione cum argillis, et crystallisatione mundatus vocantur Crystalli tartari, sive Cremor tartari.

Odor levis.

Sapor acido-salinus.

Virtus antiphlogistica, diuretica, solvens, maiori dosi eccoprotica.

Usus. Morbi a saburra primarum viarum, ut: erysipelas biliosum, hydrops, haemorrhoides coecae.

Dosis. Scopo purgandi ab uncia dimidia ad unciam unam cum pulpa tamarindorum; Scopo alterandi drachma dimidia bis, ter de die.

TEREBINTHINA LARIGNA, seu VENETA. OLEUM TEREBINTHINAE. COLOPHONIUM. *Pinus larix* L. cl. XXI. Ord. Monadelph. In gubernio Archangelopolitano, et Sibiria crescit copiosissima. Haec est liquidior Terebinthina communi, syrupi spissitudinem habens, clara, pellucida, coloris albi, vel pallide lutei.

Odor gravis, ingratus.

Sapor pungens, amaricans, sed mitior Terebinthinae communis.

Virtus diuretica, antiseptica, adhaesiva, extus digerens, resolvens.

Usus. Gonorrhoea, retentio urinae, absenti-

bus febri plethoraque, hydrops, ulcera, relaxatio ani, sabulum.

Dosis. A scrupulo dimidio ad scrupulum integrum supraque in pilulis, sive in emulsione cum vitello ovi, seu gummi arabico; Extus in unguentis, emplastris, in clysmate praecipue contra colicam, et rebellem constipationem alvi.

Virtus olei terebinthinae s. spiritus terebinthinae destillatione obtenti maxime resolvens, diuretica, sudorifera, irritans; Externe anodyna, antispasmodica, styptica.

Usus internus. Calculi biliarii, rebellis rheumatismus, anchylosis chronica, malum ischiaticum; Sed externus magis est praestans, ut: laesiones nervorum, tendinum, membranarum, arteriarum, venarum, tumores cystici frigidi, ganglia, paralytica membra, gangraena.

Dosis. Ad grana duodecim supraque cum melle; Externe lintea oleo madida calide applicentur.

Odor et *Sapor* Colophonii balsamicus.

Virtus resolvens, digerens, adhaesiva.

Usus externus. Tumores, ulceraque articulationum, suffitus in rhachitide; Emplastra.

TERRA CATECHU, seu JAPONICA est succus, aut potius extractum aquosum elicitum ex *Mimosa Cate* Murray. Ex *Mimosa Catechu* L. ab *Areca Catechu* Spielmanni et Bergii. Arbor

copiose crescit in montibus Rotas, et Pallamoro, supra Bengaliam sitis.

Odor nullus.

Sapor austerus, subamarus, dein dulcescens, linguae diu inhaerens.

Virtus adstringens, stomachica, valde antiseptica.

Usus. Haemorrhagiae a sanguinis dissolutione, putredo, foetor oris, dentium vacillatio, ulcera gingivarum, diarrhoea et dysenteria ex laxitate, fluor albus, aphtae.

Dosis. A granis decem in pulvere; Sive cum aqua aromatica ad drachmam dimidiam.

Dum hic succus est genuinus, tunc in aceto vini et spiritu vini totus solvitur.

THYMI herba. *Thymus vulgaris* L. cl. XIX. Ord. Gymnosp. Planta perennis in Rossia australi spontanea.

Odor fragrans, non adeo gratus; recentis suavior.

Sapor pungens cum amaritie, non adeo gratus, calidus.

Virtus resolvens, emmenagoga, diuretica, tonica.

Usus. Diathesis pituitosa.

Dosis. Drachmae duae cum aquae unciis quatuor infusum.

TORMENTILLAE radix. *Tormentilla erecta* L. cl. XII. Ord. Polyg. Planta perennis in tota Rossia per sylvas et pascua sterilia spontanea.

Odor nullus.

Sapor stypticus.

Virtus adstringens, tonica.

Usus. Prolapsus, laxitas articuli, vacillatio dentium.

Dosis. Drachma una et dimidia cum aquae unciis sex ad uncias quatuor decoctum, praecipue externe applicatur.

TRAGACANTHAE gummi. *Astragalus tragacantha* L. cl. XVII. Ord. Decandr. Frutex orientis et Europae australis proprius.

Odor nullus, *Saporque.*

Virtus obvolvens, glutinans, demulcens.

Usus. Fissurae papillarum et labiorum, dysenteria, diarrhoea, stranguria.

Dosis. Drachma dimidia ad integram cum aqua praecipue in clysmate.

Colore variat, unde distinguitur in Tragacantham albam, et flavam, seu rufam. Prior, utpote purior, unice in medicum scopum servari debet; Altera sordibus variis inquinata, opificibus relinquenda est.

TRIFOLII FIBRINI herba. *Menianthes trifoliata* L. cl. V. Ord. Monogyn. Planta perennis in Rossia et Sibiria, locorum paludosorum et lacustrium incola.

Odor nonnihil fatuus.

Sapor amarissimus.

Virtus tonica, antiseptica, anthelmintica.

Usus. Scorbutus, icterus, obstructiones visce-

rum, tinea, serpigo, impetigo, achores, scabies, fistulae, et ulcera antiqua, arthritis.

Dosis. Drachmae duae cum aquae libra una infusum; Succi cochlear unum quovis mane.

TRITICI seminis farina. *Triticum hybernum* L. cl. III. Ord. Digyn. Planta biennis, ubique in agris seritur.

Odor farinae nullus.

Sapor farinaceus, subinsipidus.

Virtus absorbens, resolvens, emolliens.

Usus externus. Suppressa transpiratio partis, tumores erysipelatosi, serosi, oedematosi, arthritici, rheumatici, sub forma fomentationum.

VALERIANAE SYLVESTRIS, seu MINORIS radix. *Valeriana officinalis* L. cl. III. Ord. Monogyn. Planta perennis per totam Rossiam et Sibiriam in locis humidis, sed quae in montosis crescit, efficacior est.

Odor fragrans, subgravis, subnauseosus.

Sapor amaricans, ingratus, subacris.

Virtus roborans, antispasmodica, diaphoretica, emmenagoga, diuretica, anthelmintica.

Usus. Epilepsia, hysteria, vertigo, chorea St. Viti, vermes, catalepsis, rabies canina, hemicrania, paralysis, amaurosis, febris putrida, febres intermittentes, visus habetudo.

Dosis. A scrupulo uno ad drachmam dimidiam omni bihorio vel trihorio; Uncia dimidia ad libram unam aquae ad uncias sex

vase clauso decoctum. Olei destillati, quod maioris est praestantiae, guttulae sex ad octo cum saccharo; Extracti aquosi a granis decem ad quindecim ter per diem cum liquore anodyno.

Radix a squalore liberata et probe siccata in vase vitreo probe obturato arctissime compingenda, et loco sicco frigidoque, ob partes eius volatiles servanda est, in collectione ne confundatur cum *Valeriana dioica* L. quae minores habet fibrillas, et debiliorem odorem.

VANILLAE siliquae, seu VANILLA. *Epidendrum vanilla* L. cl. XX. Ord. Diandr. Planta parasitica, arboribus in America australi et insulis Indiae occidentalis adhaerens.

Odor fragrans, inhaerens exacte Balsami peruviani, vel Styracis, vel Ambrae.

Sapor blande aromaticus, subacidus, unctuosus.

Virtus calefaciens, diuretica.

Usus. Chocolata.

VERBASCI flores, folia. *Verbascum thapsus* L. cl. V. Ord. Monogyn. Planta biennis sponte ubique crescit.

Odor foliorum nullus.

Sapor herbaceus, subamaricans.

Odor florum recentium suavis.

Sapor melleus.

Virtus foliorum emolliens, resolvens.

Usus. Pectoris affectus.

Dosis. Florum drachmae duae cum aquae unciis quatuor infusum; Foliorum unciae duae ad aquae libras duas decoctum; Cataplasma; Enema.

VERMIS MAIALIS, seu SCARABAEUS UNCTUARIUS. *Meloe proscarabaeus* L. cl. V. Insecta, coleoptera. In campis apricis habitans.

Odor nullus.

Sapor acris.

Virtus irritans, diuretica, maiori dosi caustica.

Usus. Morsus canis rabidi, hydrophobia.

Dosis. Adultis omni hora granum unum huius insecti cum aliquot granis nitri contriti datur.

Vermes hi mense Majo tempestate sicca calida sunt colligendi, ea cum cautela, ut forcipula, leviter absque pressione, ne exsudans mucilago perdatur, capti, et capite caute abscisso, trunci eorum statim vitro melle aliquantum repleto, postea bene obturando, immittantur.

VERONICAE herba. *Veronica officinalis* L. cl. II. Ord. Monogyn. Planta perennis ubique per silvas steriles frequens.

Odor vix ullus.

Sapor amaricans, subadstringens.

Virtus pectoralis, tonica, roborans.

Usus. Asthma, tussis, pituita.

Dosis. Drachmae tres cum aquae unciis octo infusum.

VIOLAE flores. *Viola odorata* L. cl. XIX. Ord. Monogam. Planta perennis in Rossia australi spontanea.

Odor florum recentium gratissimus, specificus.
Sapor mucilaginosus, amaricans.
Virtus florum recentium subanodyna.
Usus. Syrupus.

VIOLAE TRICOLORIS, seu JACEAE herba. *Viola tricolor* L. cl. XIX. Ord. Monogyn. Planta annua, in hortis et pratis frequens.

Odor herbae recentis gratus in flores Naphae incidens; Siccae nullus.
Sapor mucilagineus cum sensu acredinis.
Virtus subemetica, laxans, siccatae depurans, diuretica.
Usus. Crusta lactea infantum, tinea, achores, serpigines, herpes, impetigo, scabies, gutta rosacea.
Dosis. Herbae recentis drachmae duae, s. siccatae drachma una, cum unciis sex aquae ebullientis infusum, per diem; Vel pulveris a granis decem ad drachmam unam cum saccharo bis de die. Protrahitur usus huius herbae, donec lotium fetoris felini in totum expers fuerit.

VITIS IDAEAE baccae, folia. *Vaccinium vitis idaea* L. cl. VIII. Ord. Monogyn. Fruticulus sempervirens, ferus in sylvis ubique per Rossiam frequens.

Odor baccarum nullus.

Sapor grate acidus.

Virtus refrigerans, antiseptica, refocillans.

Usus baccarum. Febrium aestus; In forma syrupi, roobis. Folia huius plantae vi sua adstringente in calculo pellendo aemulantur folia Uvae ursi.

VITRIOLUM ALBUM sive ZINCI. SULPHAS ZINCI ex zinco et acido vitrioli conflatum solutione repetita et crystallisatione depuratum. *Vitriolum zinci* L. cl. II. Minerae. Salia. Paratur in Goslariae officinis.

Odor nullus.

Sapor nauseosus, austerus.

Virtus adstringens, antiseptica, praestans ophthalmica, emetica.

Usus internus. Venena narcotica, fungi venenati comesti, debilitas hysterica, asthma spasmodicum et convulsivum, epilepsia, fluor albus, colica saturnina, haemorrhagiae; Externe scabies, ulcera dysepulotica, aphthae, lapsus palpebrae, oculi rubentes lacrymas fundentes, nebulae, maculae corneae, fistula lacrymalis a depositione materiae, angina catarrhalis, odontalgia.

Dosis. A grano dimidio ad duo, quinque ad scrupulum unum; Externe collyria, e. gr. Granum unum ad unciam unam aquae rosarum. Sive, drachma dimidia vitrioli ad aquae rosarum uncias sex, cum melle rosaceo uncia una Gargarisma, quo saepius eluitur os; Unguentum.

VITRIOLUM COERULEUM, VITRIOLUM CYPRIUM, CUPRUM VITRIOLATUM, SULPHAS CUPRI, ex acido vitrioli et cupro constat. *Vitriolum cupri* L. cl. II. Minerae. Salia. Passim, sive ex gleba cupri pyritosa, sive aes cum sulphure calcinando paratur.

Odor nullus.

Sapor nauseoso-acris, valde stypticus.

Virtus corrosiva, styptica.

Usus externus. Ulcerum caro luxurians.

VITRIOLUM MARTIS, FERRUM VITRIOLATUM, SULPHAS FERRI, ex acido vitrioli et ferro constat. *Vitriolum ferri* L. cl. II. Minerae. Salia. Existit nativum, vel arte paratur ex terris, et schistis hoc sale gravidis, potissimum ex pyritis fatiscentibus atque ustulatis, indigenum.

Odor nullus.

Sapor adstringens.

Virtus styptica, roborans.

Usus. Haemorrhagiae periculosissimae a relaxatione, pollutiones nocturnae, diurnae, chlorosis, rhachitis, vermes.

Dosis. Granum unum ad grana quatuor infantibus; Scrupulus unus ad drachmam unam cum saccharo, vel aquae libra una adultis; Externe, lintea huius salis solutione madida applicantur. Ad usum medicum praeparent ipsi Pharmacopoei.

ULMI cortex medius ramorum, vel radicum. *Ulmus campestris* L. cl. V. Ord. Digyn. Arbor in Rossia temperata frequens.

Odor nullus.

Sapor subamaricans, glutinosus.

Virtus tonica, antiseptica, diuretica.

Usus. Lepra, scabies, fluor albus, herpes universalis, rheumatismi rebelles, tinea capitis, scrophulae, ascites.

Dosis. Unciae quatuor in aquae libris quatuor ad remanentiam librarum duarum decoctum, cuius unciae octo mane et vespere exhauriuntur, cum eiusdem decocti lotione partium affectarum.

VOMICA NUX. *Strychnos nux vomica* L. cl. V. Ord. Monogyn. Arbor in Malabaria et Zeylona crescens.

Odor nullus.

Sapor valde amarus.

Virtus tonico-narcotica, venenata, pandiculationes, convulsiones saepe vehementissimas excitans, nimia dosi deleteria.

Usus. Morsus Colubri Najae, rabies canina, hydrophobia.

Dosis. Ad grana quatuor cum maxima cautela.

UVAE URSI folia. *Arbutus uva ursi* L. cl. X. Ord. Monogyn. Fruticulus sempervirens in Rossia septentrionali spontaneus.

Odor foliorum siccorum in Glycyrrhizae radicem, vel eius extractum incidens.

Sapor stypticus, dein amarus.

Virtus adstringens, diuretica, tonica.

Usus. Sabulum, calculus, ulcera renum et vesicae, ischuria a calculis, fluor albus et incontinentia urinae.

Dosis. Drachma dimidia bis, ter, quater de die in pulvere; vel foliorum drachmae duae cum libra una aquae decoctum.

WINTERANUS s. MAGELLANICUS CORTEX. *Wintera aromatica* L. cl. XIII. Ord. Polygyn. Arbor sempervirens ad fretum Terrae Magellanicae habitans.

Odor dum teritur gratus, aromaticus ad caryophyllaceum accedens.

Sapor aromaticus, linguam faucesque urens, diu inhaerens.

Virtus antiscorbutica, calefaciens, antiseptica, sudorifera, carminativa, resolvens, stomachica, saporem odoremque remediorum quorundam nauseosorum corrigit, ut: Sennae et Rhei.

Usus. Obstructio glandularum mesenterii, scorbutus.

Dosis. Drachma dimidia pulveris; Drachmae duae cum aquae unciis sex infusum.

ZEDOARIAE LONGAE, ROTUNDAE radix. *Amomum Zedoaria* Bergii. *Kaempferia rotunda* L. cl. I. Ord. Monogyn. Planta perennis. Indiae orientalis, nominatim Malabariae et insulae Luzonis.

Odor camphoraceus.

Sapor aromaticus, acris, amaricans, calidus, diu in ore remanens.

Virtus roborans, incidens, stimulans, sudorifera, emmenagoga, anthelmintica.

Usus. Hysteria, nausea, vermes.

Dosis. Drachma dimidia in pulvere cum saccharo; Drachma una cum vini unciis sex infusum.

ZINCUM est metallum lamellosum, ex coerulescente - argenteum nitoris constantis. *Zincum mineralisatum* L. cl. II. Minerae. Metalla. In India, Anglia, atque Hercynia, potissimum ex Pseudogalena eliquatur.

Odor et *Sapor* nullus.

Virtus et *Usus.* Vid. Flores zinci Part. II.

ZINGIBERIS NIGRI, ALBI radix. *Amomum Zingiber* L. cl. I. Ord. Monogyn. Planta perennis, in India orientali, item, in insula Ma-

dagascar, Guinea et aliis Africae occidentalis regionibus spontanea.

Odor fragrans, nares vellicans.

Sapor valde acris, os totum fervoris sensu afficiens.

Virtus calefaciens, incidens, stomachica, stimulans.

Usus. Anorexia, colica flatulenta, tussis convulsiva infantum, uvula ex pituita tumens.

Dosis. Grana decem in pulvere; drachma dimidia cum vini unciis sex infusum; Collutorium; Condita radix dimidia, vel integra manducata deglutitur.

PHARMACOPOEAE ROSSICAE

PARS II.

DE

PRAEPARATIS

ET

COMPOSITIS.

ACETUM ANTISEPTICUM.

Recipe Herbarum Absynthii
Rutae
Menthae
Salviae
Rorismarini ana uncias duas,
Florum lavendulae uncias duas,
Radicum angelicae
Imperatoriae ana unciam unam et dimidiam,
Spicarum allii drachmas duas.

Mixta incisa, digere in aceti vini libris octo in cucurbita vitrea probe clausa, iusto calore per duodecim, sive balneo arenae, per tres dies; Liquor fortiter expressus, filtratus usui servetur.

Si expetitur hoc acetum cum camphora, tunc camphorae uncia dimidia prius in spiritu vini soluta, additur.

Virtus. Antiseptica, cardiaca, excitans.

Usus. Pestis, diathesis putrida.

Dosis. Interne cochleatim, externe suffitus, lotiones.

Nota. Aceta simplicia, a medicis et ab usu recepto pendentia, ex tempore parentur. Hoc est: uni parti vegetabilis infunditur circiter octuplum boni aceti.

ACETUM SATURNI, EXTRACTUM SATURNI.

Rp. Cerussae in laminis, vel minii triti partem unam.
Aceti vini boni partes quatuor.

Coquantur in lebete leni igne, ad dimidiae partis consumtionem, bacillo saepius agitando; Liquor frigefactus, filtratus servetur.

Si liquor in lebete ad siccitatem evaporatur, *extractum saturni siccum* dicitur. Dum vero calx plumbi aceto destillato solvitur, et ad cristallisationis punctum evaporatur, *saccharum saturni* appellatur.

Virtus et *Usus.* Vide aquam vegetomineralem.

ACETUM SCILLITICUM.

Rp. Radicis scillae praeparatae partem unam.
Aceti vini partes sex Digerantur leni calore per tres dies, forti expressione coletur acetum, et dein filtretur.

Virtus. Incidens, attenuans, diuretica.

Usus. Asthma humidum, hydrops pectoris, affectus catarrhales suffocativi.

Dosis. Drachma una, ad unciam dimidiam.

Rarius per se praescribitur, oxymel inde paratum illi praefertur.

Nota. Acetis diutius servandis decima sexta pars spiritus vini rectificati additur. Sic paratur *acetum colchici.*

ACETUM VINI FRIGORE CONCENTRATUM.

Acetum vini intenso frigore, in vase terreo, aut potius ligneo aperto concrescat in glaciem; quo facto, perfracta aut pertusa glacie, reliquum fluidi a glacie separetur, et in vas vitreum effundatur.

Nota. Satis concentratum est acetum, quod tertiam sui ponderis partem alcali vegetabilis fixi ad saturationem exigit.

Virtus. Antiseptica, confortans, antiphlogistica, diaphoretica, leniter irritans, externe qua odoramentum.

Usus. Febres putridae, pestis, lipothymia, syncope, gangraena inflammatoria, carbunculus, erysipelas biliosum, melancholia, mania, haemorrhagiae, sugillationes, ulcera putrida.

Dosis. Interne, drachma una diluitur aquae libra una. Externe drachmae tres vel quatuor cum eadem aquae quantitate.

ACETUM VINI DESTILLATUM.

Rp. Aceti vini quantum placet, retortae vitreae, cum decima circiter parte pulveris carbonum, committe, et balneo arenae, sexta circiter pars, igne successive aucto eliciatur. Abjecto primum prodeunte phlegmate aethereo, quod seorsim servandum est, labor protrahatur, quamdiu clarus, nec empyreumaticus prodierit liquor, qui ante notam empyreumatis obtentus servetur.

Usus. Varii sunt labores pharmaceutici et chemici.

Nota. *Phlegma aethereum* usurpatur ad parandum *liquorem anodynum vegetabilem.*

ACIDUM ACETI CONCENTRATUM.
ALCOHOL ACETI.
ACIDUM ACETICUM.

Rp. Terrae foliatae tartari probe siccatae, et in subtilem pulverem redactae libram unam, tubulatae retortae immitte, et, per iteratas vices, affunde acidi vitrioli concentrati libram unam aequali aquae quantitate caute diluendam, et ex balneo arenae quousque residuum fere siccum apparuerit, destilletur. Acetum elicitum cum pulvere carbonum, dimidio sui ponderis mixtum rectificetur, et tum illi tertia, sive quarta pars liquoris anodyni vegetabilis admisceatur.

Nota 1. Acetum aliquid sulphurosi, in prima destillatione, in se recepisse monstrat eius

turbatio, dum aceto pauxillum concentratae solutionis in acido aceti terrae ponderosae iungitur. Tunc illi, antequam supra pulverem carbonum destillatio suscipietur, dicta solutio guttatim eo usque instilletur, donec nulla turbatio fiet.

Nota 2. Sal primae destillationis residuus aqua solutus, filtratus crystallisetur, crystalli exortae probe siccatae, in subtilem pulverem contritae ad parandum acetum glaciale sub titulo *tartari vitriolati acidi* serventur.

ACIDUM ACETI CONCENTRATISSIMUM.

ACETUM GLACIALE.

Rp. Terrae foliatae tartari partes tres,
Tartari vitriolati acidi partes octo.

Seorsim probe siccentur, et subtiliter pulverisentur in mortario lapideo, exacte inter se terantur, immittantur retortae, et leni igne destillentur ita, ut materies non colliquescat in unam massam. Quam primum guttulae lentissime stillare incipient, recipitur obtentum acetum, et rectificetur ea siccissimi pulveris carbonum quantitate, ut acetum ab hoc pulvere in retorta totum absorbeatur.

Nota. Hocce acetum frigore aut sola frigidiuscula temperatura, in glacialem seu camphorae similem massam crystallisatur.

Virtus. omnium acetorum est princeps.

ACIDUM MURIATICUM CONCENTRATUM,
ACIDUM SALIS, SPIRITUS SALIS FUMANS.

Rp. Salis communis decrepitati libras duas; immissis retortae vitreae successive instilles Acidi vitrioli concentrati libram unam aequali portione aquae fluviatilis caute diluendam. Quo facto, ex balneo arenae destilletur primo leni, gradatim validiori igne eo usque, donec nulli amplius ex retorta vapores prodeant. Residuum post destillationem est *sal mirabile Glauberi*, seu *soda vitriolata*, seu *sulphas sodae.*

Virtus. Antiseptica, refrigerans.

Usus. Dysuria, ischuria renalis, fauces gangraenosae, sphacelus.

Dosis. Interne, aliquot guttulae cum aqua ad gratam aciditatem. Externe cum melle rosarum linctus.

ACIDUM NITRI CONCENTRATUM,
SPIRITUS NITRI FUMANS,
ACIDUM NITRICUM.

Rp. Nitri depurati uncias triginta; retortae vitreae immissis per vices, retortam agitando saepius, et caute evitando vapores, affunde:
Acidi vitrioli concentrati uncias quindecim, destilletur igne arenae sensim aucto; Spiritus hac ratione obtentus, satis cito vitro probe clauso asservetur.

Acidum nitri dum partes acidi vitrioli in se continet, optime depuratur hoc modo: instillatur solutio terrae ponderosae nitratae, quousque non amplius illud turbetur, quo facto, destillatio repetitur. Ab acido vero salis pari modo liberatur instillatione solutionis argenti, et destillatione.

Virtus caustica, corrodens.

Usus. Praeparata.

ACIDUM NITRI TENUE seu DILUTUM, SPIRITUS NITRI, AQUA FORTIS.

Rp. Nitri depurati,

Vitrioli viridis calcinati partes aequales, in pulverem redactae, probe misceantur, et destillentur ex retorta terrea, seu vitrea loricata in excipulum, cui prius aquae dimidia pars ad receptum nitrum infunditur.

Nunquam interne ob vim suam causticam, sed ad alia paranda medicamenta adhibetur.

ACIDUM PHOSPHORI, ACIDUM PHOSPHORICUM.

Rp. Ossium ad albedinem calcinatorum, et subtilissime pulverisatorum partes quatuor; in cucurbita vitrea, cum acidi vitrioli concentrati partibus tribus, antea dupla aquae portione diluti probe misceantur; elapsis aliquot momentis, pauxillum aquae iterum affundatur, ut mistio tenuem pultaceam massam consequatur, et spatio viginti quatuor horarum, saepius agitando, digeratur. Dein

haec massa ope sacci lintei exprimitur, residuum gypsum iterum aqua eluitur; Et hi omnes liquores filtrati eo usque evaporantur, donec vel minima eorum pars dentibus applicata stuporem illis inducat. Post refrigerationem hic liquor filtretur; quo facto, spiritu salis ammoniaci volatilis aliquantulum supersaturetur, a calce ad fundum praecipitata separatus ad siccitatem evaporetur. Post haec crucibulum hoc sale ad tertiam solum partem repletum igne successive protracto liquetur, quousque sal prorsus candeat. Denique in laminam effusus, post refrigerationem in partes diffractus in vitro bene clauso servetur.

Virtus. Analeptica, sudorifera, antispasmodica.

Usus. Epilepsia, mania, melancholia, caries ossium.

Dosis. Grana duo in aethere, seu oleo unguinoso solvuntur. Externe pars una cum septem partibus aquae diluitur.

ACIDUM TARTARI CRYSTALLISATUM, SAL ESSENTIALE TARTARI, ACIDUM TARTAROSUM CRYSTALLISATUM.

Rp. Tartari crudi libras quindecim,
Cretae libras quatuor;

Probe pulverisata in lebete stanneo cum aquae frigidae circiter centum libris per vices commisceantur; finita effervescentia, coque hanc mistio-

nem, cui inter ebullitionem affundas solutionem calcis salitae tam diu, quousque nulla ulterius praecipitatio excitetur; omni peracta subsidentia, liquor badius salem digestivum continens decantetur, residuus tartari selenites aqua probe edulcoretur, et huic dein octo olei vitrioli concentrati librae aequali aquae portione diluendae, addantur in vitro. Mixtio per aliquod temporis spatium agitetur. Dein iterum aqua diluitur, per quadraginta octo horas, flavus acidus liquor decantetur; Selenites aqua probe elixatus, et omnia liquida cum unciis sex ad octo (sive quantum sufficit ad plenariam flavi coloris privationem,) subtilis pulveris carbonum permisceantur, in decollata cucurbita vitrea ope balnei arenae ad punctum fere crystallisationis evaporentur, et fervida per filtrum colentur. Post refrigerationem liquor a selenite per linteum separatur, et lenissimo calore crystallisetur.

Nota. Priusquam acidus liquor cum pulvere carbonum miscetur, et evaporationi exponitur, pauxillo huius adduntur aliquot guttulae aceti saturni, quod ostendit albidum sedimentum, et quum ille aliquot guttularum affusione acidi nitrici limpidus fit, tunc acidum est purum, e contrario est inquinatus acido Sulphurico. In ultimo casu denuo illi addatur debita copia tartari selenitis.

Virtus. Antiseptica, incidens, aperiens, antalcalina.

Usus. Febres acutae, putridae, biliosae.

Dosis. A granis decem, ad triginta cum aqua.

ACIDUM VITRIOLI CONCENTRATUM DEPURATUM, ACIDUM SULPHURICUM.

Rp. Acidi vitrioli concentrati uncias novem;

In retorta vitrea uncias octodecim continente destilletur igne successive aucto, usque dum non ulterius in vaporum forma, sed in striis cohaerentibus in vas recipiens, defluere incipiat. Tunc mutato recipiente, destillatio continuetur, et tandem talis ignis gradus adhibeatur, ut reliquum acidum ascendere possit, quod in vitris probe clausis usui asservetur.

Usus. Summum hoc causticum acidum variis aliis remediis parandis, et laboribus pharmaceuticis et chirurgicis inservit.

ACIDUM VITRIOLI DILUTUM, SPIRITUS VITRIOLI, ACIDUM SULPHURICUM DILUTUM.

Rp. Acidi vitrioli concentrati partem unam, cum aquae destillatae partibus octo caute et gradatim misceantur.

Virtus. Antiseptica, adstringens, refrigerans.

Usus. Morbi putridi, ut febres sic dictae castrenses, dysentericae, petechiales, aliae exanthematicae, et ipsa pestis, febres biliosae, putridae, scabies, angina inflammatoria gangraenosa, aphthae, ulcera putrida.

Dosis. A guttis triginta usque ad integras drachmas, vel in mixturis, vel cum syrupo quodam.

AERUGO CRYSTALLISATA,

ACETAS CUPRI.

Rp. Viridis aeris pulverisati q. l.

Dissolve in sufficiente quantitate aceti destillati, solutionem filtratam ad cuticulam evapores, et, ut crystalli surgant, reponatur.

Virtus. Mundificans, exsiccans.

Usus externus isque prudens sub forma unguenti.

AETHIOPS MARTIALIS,

OXIDUM FERRI NIGRUM.

Rp. Vitrioli ferri puri in sufficiente quantitate aquae destillatae soluti quantum lubet. Solutio cinerum clavellatorum depuratorum instilletur, quousque nulla praecipitatio amplius appareat. Haec calx ferri eluta et siccata redigatur cum oleo lini in massam spissam, quae leni igne ad perfectam olei consumtionem calcinata, vitro probe clauso, servetur.

Virtus et *Usus.* Vid. Ferrum. Part. I.

Dosis. A granis quinque ad decem, quindecim supraque.

AETHIOPS MINERALIS,

SULPHURETUM HYDRARGYRI.

Rp. Florum sulphuris partes duas. Terantur in mortario lapideo, instillando pedetentim mercurii vivi partes quatuor, quousque globuli mercurii in totum disparuerint.

Virtus. Resolvens, mundificans, anthelmintica.

Usus. Tumores glandularum colli, exulcerationes antiquae fistulosae, scabies sicca, febris quartana cum vermibus.

Dosis. Ad scrupulum dimidium.

AETHIOPS ANTIMONIALIS, SULPHURETUM HYDRARGYRI STIBIATUM.

Rp. Antimonii crudi pulverisati.
Mercurii vivi ana partes aequales,
misce in mortario vitreo eo usque,
donec in totum mercurius disparuerit.

Virtus. Anthelmintica, resolvens.

Usus. Vermes, obstructio glandularum, scabies venerea, vitia oculorum.

Dosis. Infantibus a grano uno ad quinque; Adultis ad scrupulum.

ALCALI CAUSTICUM, CAUTERIUM POTENTIALE, LAPIS CAUSTICUS, POTASSA PURA seu CAUSTICA.

Rp. Lixivii caustici quantum lubet,

In vase ferreo tam diu evaporetur, donec guttula lapidi frigido instillata indurescat. Tunc sal crucibulo immittatur, et ignis ei admoveatur, usque dum olei forma fluat, quod subito effundatur in canalem ferreum calefactum et oleo olivarum illitum, qui pennae anserinae magnitudinem habet; tandem in

frustula idonea secatur, et in vitro probe clauso servetur.

Virtus Corrodens, vesicans.

Usus. Externe callosi margines ulcerum, hypersarcosis, vulnera in rabie canina, et morsu viperarum.

ALCALI MINERALE,
CARBONAS SODAE.

Rp. Salis communis libras viginti.

Solve in aquae fluviatilis libris sexaginta, solutioni adde cinerum clavellatorum ét sicce contritorum libras viginti quinque. Hoc fluidum evaporetur, quousque salina pellicula exoriens aliquoties subsidat, et de novo efformetur. Tunc lebete ab igne dimoto, quum refrigescere incipit, per flanellam coletur. Elapso unius horae spatio, liquor ab excusso, hoc tempore, sale digestivo, in aliud vasculum decantetur, in quo alcali minerale, loco frigido, crystallisetur, et haec crystallorum genesis, additis huius salis siccis crystallis acceleratur. Hic alcalinus sal repetita solutione, filtratione et crystallisatione perfecte purus evadit.

Virtus et *Usus* sunt, ut *cinerum clavellatorum depuratorum.*

ALCOHOL VINI,
SPIRITUS VINI RECTICICATISSIMUS.

Rp. Spiritus vini depurati q. l.; destillationi iterum subiiciatur, et exinde tertia solum pars eius eliciatur.

ALCOHOL VINI ALCOHOLISATUM, SPIRITUS VINI DEPHLEGMATISSIMUS.

Rp. Alcoholis vini q. l. sub diligenti succussione, tam diu siccam depuratam potassam admisceas, et inde provenientem aqueam salis solutionem ope separatorii saepius auferas, quousque ultimae potassae particulae, nec deliquescant, nec inter se congrumescant. Dein retorta superimpletur potassa probe siccata, cribro trajecta, depurata, cui affunditur supradicti aqua privati alcoholis tantum, quantum ab illa perfecte resorberi potest. Retorta balneo arenae committitur adaptato recipiente cum vesica, et post viginti quatuor horas, lenissimo semper aequali continuato igne destilletur. Quamprimum guttulae lentius stillent, tunc destillatus et perfecte aqua privatus alcohol recipitur et servetur.

Virtus longe praestantior spiritus vini rectificati.

Nota 1. Supra hoc in retorta residuo sale, expulsis sat valido igne remanentibus phlegmaticis partibus, nova portio alcoholis saepius extrahi potest, donec sal in massam duriusculam non compingatur.

Nota 2. Quod alcohol alcoholisatum hac methodo elicitum sit perfectissime aqua privatum, docet eius specifica gravitas, quae in temperatura + 15 Reaumur grad. non plus = 791 ad 1000 aquae.

ALUMEN USTUM.

Rp. Aluminis crudi q. l.

Calcinetur in vase fictili, crusta non obducto, vel ferreo, donec omne humidum expulsum fuerit, et massa spongiosa sicca friabilisque evaserit.

Virtus. Exsiccans, adstringens, leniter caustica.

Usus. Externe, ulcera fungosa sordida.

ANTIMONIUM CRUDUM PRAEPARATUM.

Rp. Antimonii selecti q. l. in mortario lapideo contundatur, et per sindonem traiiciatur; pulvis traiectus denuo teratur donec omnes, vel plurimae saltem particulae micantes disparuerint, dein servetur.

Virtus et *Usus.* Vid. P. I. Antimonium.

AQUA AERIS FIXI.

Aqua fluviatilis saturetur aëre fixo ex solutione cretae, aut melius spati calcarei in acido vitrioli tenui prodeunte, aut alia simili. Idem fieri potest ex fermentantibus liquoribus.

Cui si additur ferrum, dicitur *aqua aëris fixi martialis.*

Virtus antiseptica.

Usus externus. Ulcera putrida, gangraena.

AQUA CALCIS VIVAE.

Rp. Calcis vivae recentis libram unam.

Cui gradatim affundas aquae calidae libras quindecim, post extinctionem, et calcis sub-

sidentiam, liquor per chartam colatus vitro munito servetur.

Paratur haec aqua etiam prout exigitur ex testis calcinatis.

Virtus abstergens, diuretica, resolvens, stimulans, acidum involvens, siccans.

Usus. Cachexia, chlorosis, exanthemata chronica, ulcera interna, caries et mollities ossium.

Dosis. Aliquot unciae cum lacte; externe iniectiones, fomenta.

AQUA COMMUNIS DESTILLATA.

Rp. Aquae communis libras viginti quatuor, destillentur lege artis ad quartae partis remanentiam, vel eousque, dum guttae decidentes aquam turbare incipiant.

Adhibetur ubicunque aqua purissima requiritur.

AQUA OPHTHALMICA CAERULEA.

Rp. Aquae calcis vivae libram unam.

Salis ammoniaci depurati drachmam unam.

Viridis aeris crystallisati pulverisati grana quinque, exacte misceantur et colentur.

Virtus discutiens, mundificans, abstergens, refrigerans, desiccans.

Usus. Ophthalmia serosa, serpigo, ulcera palpebrarum, corneae, sacci lacrymalis.

Dosis. Per diem aliquot guttulae oculis instillentur, vel lintea ea imbuta applicentur.

AQUA PHAGADAENICA.

Rp. Aquae calcis vivae libram unam,
Mercurii sublimati corrosivi scrup. duos et grana quatuor.

Probè terendo solvatur et servetur.

Virtus externe mundificans, corrosiva.

Usus. Ulcera venerea.

AQUA PICEA.

Rp. Picis liquidae libras duas,
Aquae libras sex,
In vase ligneo mixta agita bacillo ligneo, dein per duos dies subsidat pix; aqua decantetur et per linteum coletur.

Virtus stimulans, resolvens, diaphoretica, diuretica.

Usus. Diathesis frigida.

Dosis.—Vasculatim.

AQUA VEGETOMINERALIS, AQUA SATURNINA.

Rp. Aquae simplicis destillatae libras duas,
Extracti saturni unciam dimidiam,
Spiritus vini unciam unam.
Mixta serventur in vase vitreo.

Virtus temperans, refrigerans, discutiens, repellens, adstringens, exsiccans.

Usus. Externe. Inflammationes a causis externis ortae: contusiones, fracturae, luxationes, sugillationes, oculorum affectus, ophthalmia, fistula, ulcera, ambustiones, sphace-

lus. Sub forma cataplasmatis, vel lintea ea madida partibus affectis applicantur.

AQUAE DESTILLATAE VEGETABILIUM SIMPLICES.

AQUA FRAGARIAE.

Rp. Baccarum recentium Fragariae partes quatuor, in mortario lapideo contusis affunde.
Aquae communis partes decem, post duodecim horarum macerationem destillatione partes sex eliciantur.

Sic paratur *aqua rubi idaei.*

AQUA CHAEREFOLII.

Rp. Herbae chaerefolii recentis libras duas.
Macerentur per viginti quatuor horas in aquae libris sedecim; Postea destillatione leni igne extrahantur librae octo.
Pari modo parantur:
Aqua menthae crispae,
piperitidis,
sambuci florum.

AQUA CINAMOMI SINE VINO.

Rp. Corticis cinamomi contusi libram unam.
Aquae communis libras duodecim.
Per aliquot dies macerentur et destillatione eliciantur librae octo ad novem.

AQUA CINAMOMI CUM VINO.

Rp. Cinamomi acuti s. Florum cassiae unc. sex,
Vini albi gallici libram unam,
Aquae fluviatilis libras quinque.

Post viginti quatuor horarum macerationem destillatione eliciatur pars dimidia.

Virtus et *Usus.* Vid. Cinamomum P. I.

Dosis. Ad aliquot drachmas.

AQUA ROSARUM.

Rp. Florum rosarum recentium libras decem,
Aquae communis libras quadraginta.
Destillentur exinde quindecim,
At ex floribus rosarum salitis duodecim librae.

AXUNGIARUM DEPURATIO.

Cellulosa, quae adipem habet, in frusta dissecatur, et cum aqua tam diu conquassatur, usque dum aqua ipsi denuo affusa inde defluat prorsus limpida, leni deinde calore liquatur adeps, ut omnis ex cellulosa secedat et ipsi limpidus supernatet, eodem quoque calore aqua, quae ipsi sub priore labore adhaeserat, difflatur; difflatam autem esse, una aut altera adipis gutta carbonibus iniecta ac sine strepitu deflagrans indicio est; Adeps depuratus adhuc fluidus ollae committitur.

BALSAMUM ARCAEI,
seu
UNGUENTUM ELEMI.

Rp. Resinae Elemi,
Terebinthinae ana uncias sex,
Sevi vervecini uncias octo,
Axungiae porci uncias quatuor.

Liquentur simul leni igne, tandem per pannum

traiiciantur. Massa dein cum pistillo ligneo trituretur, et agitetur, donec refrigescat.

Virtus digestiva, emolliens, maturans.

Usus. Suppuratio ulcerum promovenda.

BALSAMUM OPHTHALMICUM RUBRUM.

Rp. Butyri recentis non saliti drachmas tres,
Cerae albae grana quadraginta quinque;
Cerae leni igne liquatae admisceatur butyrum, ut simul liquescant, in mortario lapideo exactissime permisceantur, et cum his mercurii praecipitati rubri in subtilissimum pulverem triti grana septemdecim intime conterantur.

Nota. Si huic massae addantur camphorae tritae grana quinque, Florum zinci grana octo inter se probe contrita, et cum illa optime mixta, fit Balsamum St. Yveanum.

Virtus corrodens, detergens, resolvens, roborans.

Usus. Ophthalmia serosa, venerea, maculae corneae, ulcuscula coniunctivae, incipiens suffusio.

Dosis. Granum dimidium ad integrum infricatur oculo bis de die.

BUTYRUM ANTIMONII seu STIBII, CAUSTICUM ANTIMONIALE, MURIAS OXYGENATUS STIBII.

Rp. Antimonii crudi calcinati uncias octo,
Salis communis libram unam.

Misceantur probe in mortario vitreo, et immittantur retortae tubulatae vitreae in arenae balneo positae, debito igne accenso, applicatur recipiens satis amplum, et probe lutata commissura, sensim, et minimis semper portionibus adde:
Acidi vitrioli concentrati libram dimidiam cum aquae unciis quatuor diluti, et tunc igne gradatim aucto destilletur usque dum nihil amplius prodeat.

Virtus potens, caustica.

Usus. Externe, gangraena, caries, staphyloma, elevatio scleroticae, proptosis iridis. Ope penicilli cautissime tangantur partes affectae.

CALX ANTIMONII SULPHURATA.

Rp. Testarum recenter ustarum Ostrearum drachmas decem,
Sulphuris drachmas quatuor,
Antimonii drachmas tres.

Probe mixta in pulverem prius subtilissimum redigantur, et in crucibulo bene lutato per horam igni exponantur, post fusionem mixtio habet colorem pallido-luteum, pondere drachmarum quindecim. Tunc statim in mortario vitreo pulverisetur, et in vitris drachmam solum unam capientibus probe obturatis ab aëre servetur.

Virtus aperiens, diuretica, sudorifera.

Usus. Arthritis inveterata, ulcera chronica, anchylosis, scabies, obstructiones viscerum ex atonia, ex qua etiam haemorrhoides, morbi cutanei metastatici, asthma, tussis chronica ex pituita tenaci, scrophulae, rheumatismus

chronicus, reliquiae luis syphiliticae, vermes, fluxus aurium, gonorrhoea, fluor albus, haemorrhoides mucosae.

Dosis. Calcis huius drachma una cum aquae libris quinque in vase figulino probe vitreato atque tecto, ad remanentiam librarum quatuor coquatur, dein aqua pellucida sulphurea adhuc calida lagenis infundatur sine mora bene claudendis; Huius aquae per tres aut sex horas tantum ingeritur, ut quotidie libra dimidia, ad libras duas, tres, vel quatuor, habito semper respectu aetatis, constitutionis, vehementiae morbi, consumatur. In maxime sensilibus aliquod antispasmodicum; in debilibus vero infusum Quassiae exhibendum.

Externe, fomenta, balnea, e. g. Huius calcis uncia una, seu unciae duae cum aquae libris triginta, seu quadraginta coquantur, et postea sufficiente quantitate aquae diluantur.

CERATUM LABIALE.

Rp. Olei amygdalarum uncias octodecim,
Cerae albae libram unam,
Spermatis ceti sescunciam,
Olei lavendulae, seu cuiuslibet expetiti drachmam dimidiam.

Fiat ceratum, Alkanna, ut roseus sit color, tingendum.

Virtus emolliens.

Usus. Fissurae labiorum, papillarum, narium, impetigo, ambustio.

CERATUM SATURNINUM.

Vid. *Unguentum saturninum.*

CEREI MEDICATI,
CANDELAE SATURNINAE.

Rp. Cerae flavae libram unam,

Liquetur leni igne, eique successive et sub continua agitatione instilletur,

Extracti saturni uncia dimidia.

Massa perfecte mixta ab igne removeatur, eique adhuc calenti et quasi ebullienti immergatur tela tenuis, quae post refrictionem super marmore levigata et sapone fricata servetur.

Iidem cerei fiant cum duplo, triplo et quadruplo extracti saturni.

Usus. Externe, urethra a venereis affectibus angustata, medicamenta varia urethrae applicanda, fistulae vesicae, et urethrae carunculae, gonorrhoea suppressa.

CINERES CLAVELLATI DEPURATI,
ALCALI VEGETABILE,
CARBONAS POTASSAE.

Rp. Cinerum clavellatorum q. l. solve.

In aquae simplicis frigidae aequali quantitate. Solutio reponatur per viginti quatuor horas, saepius agitando, dein filtretur, in vitro ferreo ad siccitatem evaporetur, et in vitro bene clauso servetur.

Virtus. Acidum involvens, destruens, abstergens; resolvens, arrodens, acris.

Usus. Acidum primarum viarum, humores pituitosi, venena mineralia, induratio glandularum, et testiculi, rhachitis, scabies, tumores lactei, achores.

Dosis. Drachmae tres in aquae destillatae libra una solvantur. Cuius solutionis guttae triginta ad centum cum aqua exhibeantur.

Externe fomentationes, e. g. Drachmae duae cinerum clavellatorum solvuntur cum libra aquae destillatae communis, qua solutione imbibuntur panniculi ex lana confecti, qui partibus affectis applicentur.

CONSERVA ACETOSAE.

Folia Acetosae recentia ope pistilli lignei in mortario lapideo comminuantur in pulpam tenerrimam, cui duplum sacchari adiicitur, et tundendo simul misceatur exactissime. Loco frigido servetur in vitro.

sic parantur:

Conserva Acetosellae,
Cerefolii,
Cochleariae,
Hyssopi,
Melissae,
Menthae,
Nasturtii aquatici,
Rosarum rubrarum.

Hae conservae vires suorum vegetabilium retinent.

CUPRUM AMMONIACALE.

Rp. Vitrioli coerulei uncias duas,
Aquae communis bullientis uncias sex,
Spiritus salis ammoniaci aquosi quantum sufficit ut cuprum coëat, penitusque iterum solvatur in liquorem cyaneum, postea colatura evaporetur lenissimo igne ad siccitatem, dein pulverisetur et in vitro bene clauso asservetur.

Virtus. Adstringens, roborans, antispasmodica.

Usus. Spasmi, epilepsia, paralysis, convulsiones, malum hystericum, debilitas nervorum.

Dosis. A grano dimidio sensim ascendendo usque ad quatuor in forma pilulari.

Heroicum remedium prudentem medicum requirit.

DECOCTUM ALBUM.

Rp. Rasurae cornu cervi drachmas sex.
Gummi arabici drachmas duas,
Cum aquae communis libris tribus coquantur ad remanentiam librarum duarum.
Colatura pro lubitu edulcoretur.

Virtus demulcens, temperans.

Usus. Aestus, sitis febrilis, acrimonia, fluxus alvi.

Dosis. Vasculatim.

DECOCTUM HORDEI.

Rp. Hordei integri uncias sex,
Aquae communis libras decem,

Coquantur ad libras octo.

Colaturae si addantur oxymellis simplicis unciae quatuor, Acidulatum dicitur.

Virtus temperans, demulcens.

Usus. Febres, haemorrhagiae, morbi biliosi, in potus ordinarii vicem bibitur.

ELECTUARIUM ANTHELMINTICUM.

Rp. Pulveris radicis Jalappae,
Valerianae,
Tartari vitriolati ana drachmam unam,
Oxymellis scillitici uncias tres, fiat Electuarium.

Dosis. A drachmis duabus, ad sex.

ELECTUARIUM LENITIVUM e SENNA.

Rp. Foliorum sennae unciam unam,
Radicis rhei unciam dimidiam,
Seminum Anisi drachmas duas, seorsim pulverisatorum,
Pulpae tamarindorum,
Roob baccarum sambuci ana uncias quatuor,
Inter se probe misceantur.

Virtus. Laxans, stimulans.

Usus. Saburra primarum viarum.

Dosis. Ab uncia dimidia ad integram.

ELECTUARIUM THERIACA.

Rp. Radicis Serpentariae virginianae
Contrajervae ana uncias sex,
Angelicae
Valerianae

Calami aromatici
Gentianae rubrae
Zedoariae ana uncias quatuor,
Cardamomi decorticati
Myrrhae
Macis ana uncias duas,
Opii in vino hispanico soluti unc. duas et drachmas tres,
Roob baccarum sambuci uncias octoginta,
Roob baccarum Juniperi uncias quadraginta,
Syrupi simplicis libras duas;
Omnes partes prius recens pulverisatae cum succis ultimis probe misceantur.

Virtus irritans, carminativa, antiseptica, diaphoretica, alexipharmaca, sopiens, roborans.

Dosis. Ad drachmam dimidiam.

Drachma una continet opii granum unum.

ELAEOSACCHARA.

Scrupulo uni sacchari albissimi pulverisati in mortario vitreo admisceatur olei destillati cuiusvis expetiti guttula una.

ELIXIR ACIDUM.

Rp. Spiritus vini rectificatissimi unciam unam,
In vase vitreo capaciori loco frigido ne mistio excalescat, instilla sensim et guttatim acidi vitrioli concentrati unciam unam. Et in vitro probe clauso servetur.

Virtus refrigerans, antiseptica, anodyna.

Usus. Febres biliosae, malignae, variolarum putrida purpura, haemoptysis, menstruorum

et haemorrhoidum nimius fluxus, spasmi, convulsiones, epilepsia, arthritis, efflorescentiae aestivae, exanthemata chronica, scorbutus.

Dosis. Guttae decem ex multa aqua.

ELIXIR AURANTII COMPOSITUM.

Rp. Flavedinis corticum aurantiorum recentis unc. quatuor. In parva frustula concisae et in mortario lapideo in massam pultaceam redactae, affundantur.

Vini hispanici librae duae, per tres dies digerantur et fortiter per pannum exprimantur, in quo dissolvas digerendo:

Extracti absynthii,
Cardui benedicti,
Gentianae ana unciam unam,
Terrae foliatae tartari unc. dimidiam.

Virtus roborans, appetitum excitans.

Usus. Digestio mala, lienteria, diarrhoea a debilitate, flatus hypochondriorum.

Dosis. A guttis sexaginta ad centum.

EMPLASTRUM ANGLICANUM.

Rp. Ichthyocollae optimae minutim incisae unciam unam,

Benzoes drachmam unam,

Spiritus vini uncias duodecim;

Immissa cucurbitae, coquantur usque dum omnia fuerint dissoluta, solutioque colata refrigerata consistentiam gelatinae induat; Postea leni calore liquata oblinatur penicilli

magni et mollis ope, serico tenso. Antequam prius fuerit exsiccatum, non inducatur alterum stratum, eademque sub cautela fiat stratorum iteratio, usque dum requisita crassities surrexerit.

Virtus adhaerens, combinans, consolidans.

Usus. Leviora recentia vulnera.

EMPLASTRUM CITRINUM.

Rp. Resinae flavae libram unam,
Cerae flavae uncias octo,
Sevi ovilli uncias quatuor,
Terebinthinae uncias duas.
Colliquatis, et colatis addatur,
Radicis curcumae pulverisatae uncia dimidia.

Virtus emolliens, digerens, maturans.

Usus. Ulcera maturanda.

EMPLASTRUM CICUTAE CUM AMMONIACO.

Rp. Cerae flavae libras duas,
Olei olivarum libram unam. Colliquatis, colatis admisceas
Extracti cicutae uncias sex,
Gummi ammoniaci,
Herbae cicutae pulveratae ana uncias octo;
Fiat Emplastrum.

Virtus resolvens, discutiens, aperiens, emolliens.

Usus. Scirrhus, carcinoma, tumores duri.

Nota. Longe efficacior usus externus ipsius plantae sub forma fomentationum.

EMPLASTRUM GUMMOSUM, DIACHYLON COMPOSITUM.

Rp. Emplastri communis libras duas, leni igne liquatis sub perpetua agitatione adde
Gummi ammoniaci,
Galbani pulverisati,
Terebinthinae ana uncias duas,
Separatim antea liquefactas; mixtis probe inter se, fiat emplastrum.

Virtus maturans, digerens, emolliens.

Usus. Abscessus fientes et ruptorum aliqua durities, glandularum tumores.

EMPLASTRUM LYTHARGYRII COMMUNE, DIACHYLON SIMPLEX.

Rp. Olei olivarum libras sex,
Lithargyrii pulverati libras tres,
Coque leni igne sub perpetua agitatione sensim addendo pauxillum aceti ad perfectam emplastri consistentiam. Si ad singulas libras emplastri communis addas resinae albae uncias duas, habebis *emplastrum adhaesivum.*

Virtus discutiens, repellens, exsiccans.

Usus. Copiosus affluxus humorum in ulceribus, ambusta ulcera inflammata.

EMPLASTRUM MELILOTI.

Rp. Resinae albae uncias viginti quatuor,
Sevi ovilli uncias sedecim,
Cerae flavae uncias duodecim,

Olei olivarum uncias quatuor,
Herbae cum floribus meliloti pulveratae uncias duodecim;
Colliquescentibus caeteris in fine pulvis addatur.

Virtus emolliens, resolvens.

Usus. Tumores serosi parotidum et tonsillarum, inguinum, tumores testiculi recens scirrhosi.

EMPLASTRUM MERCURIALE.

Rp. Emplastri communis libram unam,
leni calore liquato adde
Mercurii vivi depurati in terebinthinae uncia una et dimidia extincti uncias tres.
Fiat lege artis emplastrum.

Virtus valde resolvens, discutiens.

Usus. Tumores indurati venerei, scirrhosi, bubones, tophi, gummata, ganglia, dolores osteocopi, hemicrania, et cephaleae inveteratae.

Nota. Loco mercurii vivi cum longe efficaciori successu adhibetur mercurius solubilis H. Cuius drachmae duae ad tres ad libram dicti emplastri veniunt.

EMPLASTRUM SAPONATUM.

Rp. Emplastri communis libras tres,
liquefacto immisce
Saponis Wologdensis rasi libram dimidiam,
Camphorae cum oleo tritae unciam unam,

Redigatur in emplastrum, quod in vesica oleo uncta servetur.

Virtus emolliens, resolvens.

Usus. Tumores frigidi, hypochondriorum durities, mammarum tumores lactei, dolores arthritici, rheumatici.

EMPLASTRUM VESICATORIUM, CANTHARIDUM.

Rp. Cerae flavae libram unam,
Terebinthinae uncias quatuor,
Liquatis adde
Cantharidum tritarum uncias quatuor,
Camphorae drachmas tres in olei olivarum unciis duabus solutae. Fiant magdaleones.

Nota. Loco huius emplastri vesicatorii sumitur emplastrum citrinum, cui extenso in linteo inspergatur pulvis cantharidum.

Virtus stimulans, rubefaciens, vesicans.

Usus. Languor virium, paralysis, apoplexia serosa, materia ad viscus nobile deposita, deliria febrium, ut phrenitidis, pleuritidis, praesertim si respiratio suppressa, et excretio per pulmones interrupta sit, lethargus, cephalalgia a causa pituitosa, hemicrania, angina, ophthalmiae serosae, otalgia et odontalgia a causa pituitosa, eruptio exanthematum stimulo indigens, retrogressa scabies, arthritis, podagra, rheumatismus, vulnera canis rabidi,

loca serpiginosa, et variae spasmorum species.

Dosis. Uncia una emplastri extensa supra corium diversis locis, antea bene linteo fricatis applicetur ut plurimum per duodecim horas.

EMULSIO AMYGDALARUM.

Rp. Amygdalarum dulcium unciam unam,
In mortario lapideo contusis paulatim affunde
Aquae communis libram unam,
Sacchari albi unciam dimidiam.

Virtus humectans, demulcens, nutriens.

Usus. Morbi febriles.

Dosis. Cochleatim.

EMULSIO PURGANS.

Rp. Resinae jalappae grana octo,
Vitelli ovi,
Sacchari ana drachmas duas,
Aquae unciam dimidiam,
Resina cum saccharo et vitellis probe conteratur et ope aquae fiat emulsum.
Haec quantitas propinatur adulto.

EXTRACTA PER COCTIONEM PARATA.

EXTRACTUM ABSYNTHII.

Rp. Herbae siccatae absynthii vulgaris q. l.
Cum aquae simplicis sufficiente quantitate coque ad perfectam virium eius extractionem. Decoctum filtretur, et leni igne,

usque dum mellis spissioris consistentiam acquirat, perpetuo spatula lignea agitatum, in extractum evaporetur.

Plantae siccae ad hunc scopum requirunt sex partes aquae ad unam plantae. At recentes duas ad tres. Cortices vero, ligna et radices duriores maiorem copiam aquae postulant.

Pari modo parantur:

Extractum cardui benedicti
dosis a 10 ad 20 grana.
Centaurei minoris
dosis prioris.
Chinae corticis
dosis a gran. 10 ad 30.
Gentianae rubrae
dosis prioris.
Hippocastani corticis
dosis prioris.
Liquiritiae, sive *succus*,
dosis a 30 ad 60 grana.
Nucum juglandum
dosis a 6 ad 10 grana.
Quassiae,
Taraxaci,
dosis a 10 ad 20 grana.
Turionum pini
dosis prioris.

Haec extracta vires ususque vegetabilium ex quibus elicita sunt, habent.

EXTRACTA e SUCCIS VEGETABILIUM RECENTIBUS LENI IGNE INSPISSATA.

EXTRACTUM ACONITI.

Rp. Herbae aconiti recentis ante florum eruptionem collectae q. l.

Contunde in mortario ferreo, seu lapideo cum tantillo aquae, succus exprimatur, et statim ad formam extracti leni igne redigatur.

Virtutem, *Usum*, *Dosinque* vide P. I. *Aconitum.*

Hoc modo fiunt:

Extracta *Conii maculati*,
Cicutae,
Daturae seu *stramonii*,
Flammulae jovis,
Hyosciami,
Lactucae virosae,
Pulsatillae nigricantis,

Singulorum horum extractorum virtus, usus, dosisque vid. P. I.

EXTRACTUM MARTIS CUM SUCCO POMORUM.

Rp. Limaturae martis libram unam,
Succi expressi pomorum libras quatuor.

Loco calido per octo dies digesta coque leni igne ad dimidiam partem, et liquor post subsidentiam clarus, effusus caute ad consistentiam mellis evaporetur.

Virtus tonica, aperiens.

Usus. Chlorosis et mensium defectus, laxitas fibrarum et languidus humorum motus, febres intermittentes quartanae, infantes verminosi.

Dosis. A granis octo ad scrupulum in forma pilulari.

Nota. Aquae vinosae cinamomi partes sex cum parte una huius extracti *Tincturam martis pomatam* constituunt.

FLORES BENZOES,

ACIDUM BENZOICUM.

Rp. Benzoes pulveratae libram unam,
Alcali mineralis uncias tres; coque
In sufficiente quantitate aquae communis, et repetatur coctio sine additione salis mineralis. Hi liquores filtrati et commisti ad libras quatuor evaporentur. Acidum sulphuricum dilutum ad saturationem instilletur. Praecipitatus Benzoes sal filtro separetur, probe edulcoretur, et lenissime siccetur.

Virtus nervina, stimulans, resolvens, diaphoretica.

Usus. Affectus pectoris pituitosi, asthma pituitosum, catarrhus suffocativus.

Dosis. A granis duobus ad sex, octo, decem, in emulsione seu ex ovo sorbili.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES, SAL AMMONIACUM MARTIALE, MURIAS FERRI AMMONIACALIS.

Rp. Limaturae ferri unciam unam, cui admisceas: Acidi muriatici tantum, ut massa tenuis evadat. Quae massa commisceatur cum salis ammoniaci libra una, in cucurbita sublimetur, sublimatum conteratur cum remanente in cucurbita residuo, et iterata sublimatio instituatur.

Virtus tonica, aperiens, diuretica.

Usus. Obstructiones viscerum ab atonia tubi intestinalis, rachitis infantum, cachexia, hydrops, obstructio menstruorum a laxitate fibrarum, febres intermittentes.

Dosis. A granis tribus ad decem.

Dum una pars in quatuor partibus spiritus vini solvitur, huius solutionis guttae viginti ad triginta propinantur.

FLORES ZINCI, OXYDUM ZINCI.

Zinci frustula ignito crucibulo capaci, alto et inclinato, repetitis vicibus injiciantur, ut inflammentur, flores albi leves sublimati eximantur gradatim, ne aëris accessum impediant. Exemti flores tandem per cribrum trajiciantur.

Virtus externe exsiccans, roborans, interne antispasmodica.

Usus. Ophthalmia serosa, affectiones convulsivae, ascarides.

Dosis. A quarta grani parte ad duo grana cum saccharo trita; externe in unguentis.

HEPAR ANTIMONII.

Rp. Antimonii crudi,

Nitri ana partes aequales,

Pulverisentur seorsim, inter se exacte misceantur, in crucibulum eadem injiciantur, fiat detonatio, qua finita relinquatur crucibulum tectum per pluscula minuta in igne. Tum eximatur, et frigescat. Invenietur in illo massa hepatica splendens dura tecta scoriis magis cinereis dicta *Hepar stibii.*

Si hepar stibii aqua sufficiente elixetur, siccetur, dicitur *Crocus metallorum* s. *antimonii.*

Usus. Praeparata.

HEPAR SULPHURIS,

SULPHURETUM POTASSAE.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum partem unam,

Sulphuris pulverati partes duas;

Mixta immitte crucibulo, et sufficiente ignis gradu fluant; Dein post refrigerationem statim in vitro probe clauso servetur.

Virtus incidens, penetrans, resolvens.

Usus. Venena deglutita: ut arsenicum, mercurius sublimatus corrosivus, aes viride, plumbum.

Dosis. Drachma una in aquae libra solvitur,

et cochleatim copiose omni quadrante horae sorbilletur, usque dum graviores arsenici effectus devictos conspiciamus.

INFUSUM RHEI AQUOSUM,
ANIMA RHEI.

Rp. Rhabarbari concisi electi uncias duas,
Cinerum clavellatorum depuratorum drachmam unam et dimidiam.
Aquae ebullientis uncias octodecim, digere per duodecim horas, infusum cum expressione coletur.

Virtus resolvens, laxans.

Usus. Diarrhoea, dysenteria, obstructiones viscerum, icterus.

Dosis. Drachmae sex supraque.

KERMES MINERALIS,
OXYDUM STIBII SULPHURATUM RUFUM.

Rp. Antimonii pulverisati partem unam,
Cinerum clavellatorum depuratorum partes quatuor.
Coque per quadrantem horae in vase ferreo cum aquae partibus sedecim.
Lixivium filtretur fervidum, ex quo refrigescente praecipitatus sponte pulvis castaninus edulcoretur, siccetur et servetur.

Virtus et *Usus* Sulphuris aurati antimonii.

Dosis. A grano uno ad duo.

LAPIS INFERNALIS, CAUSTICUM LUNARE, NITRAS ARGENTI FUSUS.

Rp. Argenti purissimi q. v.
Aquae fortis q. s. ad perfectam solutionem;
Balnei calore solutio in vase vitreo ad siccitatem evaporetur. Massa haec vasi argenteo sive porcellaneo indita successivo igne fundatur, et quam primum instar cerae placide fluxerit, effundatur in tubulos ferreos, vel modulos lapideos calefactos oleo prius inunctos.

Virtus caustica, rodens.

Usus. Hypersarcosis, caries cranii, costarum, naevi materni.

Si drachma dimidia huius lapidis in aquae simplicis destillatae unciis duabus solvitur, et haec solutio dein aquae unciis octo permiscetur, validum fit roborans in fistula lacrymali, si per puncta lacrymalia injicitur.

LAUDANUM LIQUIDUM, TINCTURA OPII.

Rp. Opii thebaici unciam unam,
Croci orientalis unciam dimidiam,
Vini hispanici uncias novem;
Leni calore per tres dies digerantur. Tinctura colata servetur.

Virtus anodyna, hypnotica, antispasmodica.

Usus. Affectiones spasmodicae, sensibilitas praeternaturalis.

Dosis. A guttis tribus ad sex et ultra.

Nota. Huius liquidi drachma una continet Opii grana circiter sex.

LINIMENTUM VOLATILE, SAPO AMMONIACALIS.

Rp. Spiritus salis ammoniaci caustici unciam semis,

Olei olivarum uncias duas;

Misceantur exacte in vitro per succusionem, donec perfecte coeant.

Virtus stimulans, resolvens.

Usus. Externe dolores rheumatici, colica flatulenta, tympanitis, angina, ictus serpentum, peripneumonia, pleuritis.

LIQUOR ANODYNUS MINERALIS, SPIRITUS VITRIOLI DULCIS, VINOSUS VITRIOLICUS.

Rp. Acidi vitrioli concentrati partem unam,

Spiritus vini rectificatissimi partes quatuor.

Leni calore destillentur ex balneo arenae circiter tres librae; si sulphurosi quidpiam in excipulum transierit, liquor, addito paux-illo salis alcalini, de novo destilletur, et in vitro probe clauso servetur.

Nota. Via breviori paratur extemplo hic liquor, dum cum novem partibus spiritus vini rectificatissimi (alcohol vini s. quod melius alcoholisati) una pars naphthae vitrioli purissimae additur.

Virtus et *Usus* Naphthae vitrioli.

Dosis. A guttis decem ad viginti in saccharo seu mixturis.

LIQUOR ANODYNUS VEGETABILIS, ACETUM DULCIFICATUM.

Rp. Primum prodeuntis in destillatione aceti, seorsim collecti aetherei phlegmatis, q. l. quod a superfluis aqueis partibus repetita rectificatione liberetur. Cui dein, sub continua succussione, admisceatur sicca depurata potassa, quousque non amplius liquescat, quo facto, iterum rectificetur. Cuius $\frac{3}{4}$ pars e retorta eliciatur.

Virtus, Usus et *Dosis* Liquoris anodyni mineralis, et Spiritus salis dulcis.

Hic liquor ad inducendam maiorem Alcoholi aceti suavitatem adhibetur.

LIQUOR TERRAE FOLIATAE TARTARI, LIQUOR ACETATUS POTASSAE.

Rp. Terrae foliatae tartari partem unam, solve in partibus duabus aquae destillatae. Filtra.

Virtus et *Usus* Terrae foliatae tartari.

Dosis. A drachma una, ad tres in mixturis.

LIXIVIUM CAUSTICUM SAPONARIORUM.

Rp. Calcis vivae uncias quatuor,

Immitte lebeti ferreo et successive instilla pauxillum aquae calidae ad extinctionem calcis. Tum adde.

Aquae fervidae uncias octodecim;
Cinerum clavellatorum depuratorum unc. tres; agitetur spatula ferrea, lixivium refrigeratum filtretur. Residuum elixetur aquae fervidae tanta copia, ut unciae octodecim lixivii obtineantur, quod in vitris parvis servetur.

Virtus summe rodens.

Usus. Paranda alia medicamenta, et labores pharmaceutici; externe pauxillum hujus lixivii multa aqua dilutum, nodos podagricos, morsus viperae et canis rabidi sanat.

MAGNESIA AERATA, MITIS, CARBONAS MAGNESIAE.

Rp. Salis amari libras duas; solve
In aquae simplicis fervidae libris quatuor et calide filtretur: dein
Cinerum clavellatorum depuratorum libram unam,
Aquae communis fervidae libras quatuor solvantur et calide filtrentur.
Liquorem ultimum priori salis amari, durante ebullitione, tam diu sub continua agitatione instilles, usque dum non amplius turbetur. Porro haec mistio in vase cupreo stanno bene obducto aliquoties ebulliat, et ut refrigescat, reponatur. Denique praecipitata magnesia separetur, perfecte edulcoretur, siccetur, servetur.

Virtus absorbens, leniter laxans, diuretica.

Usus. Acidum primarum viarum, haemorrhoides, hypochondriasis, hysteria, flatulentia, vomitus, viridis alvus infantum, inquietus infantum somnus a torminibus et dentitione gravi.

Dosis. Infantibus grana quinque, sive quod melius est, ad unciam syrupi quatuor scrupuli veniant, quod medicamentum per parva cochlearia saepius in die datur; adultis a granis decem ad triginta, sexaginta.

MAGNESIA PURA, USTA.

Rp. Magnesiae albae optime edulcoratae q. l.
In crucibulo tecto, valido igne calcinetur per unam vel duas horas, dein magnesia refrigerata in vitris probe clausis servetur.

Virtus prioris magnesiae, sed longe eminentior.

Dosis. A granis tribus, ad quinque.

MEL ROSARUM.

Rp. Rosarum siccatarum uncias tres,
Aquae fervidae libras tres;
Spatio trium horarum macerentur, et filtratum liquorem coque cum mellis libris sex ad sufficientem spissitudinem.

Virtus detergens, incidens.

Usus. Ulcera oris; in forma gargarismatum, linctus.

MERCURIUS DULCIS, PANACEA MERCURIALIS,
MURIAS HYDRARGYRI DULCIS.

Rp. Mercurii sublimati corrosivi partes quatuor,
Vivi depurati partes tres;

In mortario vitreo cum pauxillo aquae conterantur, cucurbitae immittantur, et ex balneo arenae sublimentur, finita sublimatione, massa crystallina compacta a mercurio vivo superius adhaerente et a partibus levioribus et pulverulentis provide separetur, eximatur, pulverisetur, et aqua destillata tepida parca salis ammoniaci quantitate impraegnata perfecte edulcoretur, servetur.

Nota. Si globuli mercurii vivi adhuc conspiciantur, auferantur spiritu nitri et dein edulcoretur.

Virtus resolvens, depurans, sialagoga, anthelmintica.

Usus. Lues venerea, obstructiones viscerum, scirrhi, scrophulae, vermes, hydrophobia.

Dosis. A grano uno ad tria scopo alterante. Scopo autem laxante a tribus ad sex grana.

MERCURIUS PRAECIPITATUS ALBUS,
MURIAS HYDRARGYRI PRAECIPITATUS.

Rp. Mercurii vivi uncias quatuor.

Solve

In aquae fortis sufficiente quantitate ad perfectam saturationem.

Solutio sufficiente quantitate salis communis in aqua dissoluti praecipitetur.

Liquor mox decantetur, et mercurius praecipitatus aqua calida perfecte edulcoratus servetur.

Virtus mundificans, antisiphylitica, corrosiva.

Usus Externus. Ulcera venerea, affectus oculorum venerei, scabies, exanthemata serpiginosa, sub forma unguenti exhibetur.

MERCURIUS PRAECIPITATUS RUBER, CORROSIVUS RUBER, OXYDUM HYDRARGYRI RUBRUM.

Rp. Mercurii vivi depurati uncias quatuor;

Solve

In sufficiente quantitate aquae fortis;

In cucurbita vitrea ex balneo arenae usque ad siccitatem evaporetur.

Massa exemta in crucibulo, debito ignis gradu, sub continua baculi vitrei agitatione tam diu calcinetur, usque dum colorem pulcherrime rubrum et splendentem induerit.

Virtus leniter corrosiva.

Usus. Externe, Ulcera callosa, fungosa, ophthalmia venerea, macula corneae; Sub forma unguenti.

MERCURIUS SOLUBILIS, MERCURIUS PRAECIPITATUS NIGER, OXYDUM HYDRARGYRI NIGRUM.

Rp. Mercurii vivi depurati quantum lubet.

Solve

Lente successiveque in sufficiente quantitate aquae fortis purissimae. Ponatur phiala, in qua solutio perficienda est, in vas amplum aqua fluviatili frigida repletum, et processus peragatur semper loco frigidiori.

Mercurio soluto, crystallisque aqua destillata frigida ablutis, iisque dein solutis, et filtratis, adde guttatim saepius agitando

Spiritus salis ammoniaci caustici ad mercurium penitus ex acido praecipitandum;

Pulvis dein aqua fervent repetitis vicibus lavetur, et sine omni calore exsiccetur.

Virtus mercurii dulcis, sed tardius salivam producens.

Usus. Phimosis, ulcera genitalium cancrosa, fluor albus, bubones, testes tumentes atque indurati, aliaque mala ex causa venerea orta.

Dosis. Interne granum dimidium ad integrum primo die; quotidie granum medium augetur, ut sensim grana quinque propinentur.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS, CORROSIVUS ALBUS, MURIAS HYDRARGYRI CORROSIVUS.

Rp. Mercurii vivi depurati partem unam,

Acidi sulphurici concentrati partes duas; solvantur, ebulliant ad siccitatem;

Dein terantur et misceantur cum aequali quantitate salis culinaris probe siccati et

pulverati. Immittantur in cucurbitam vitream, et ex balneo arenae fiat sublimatio.

Virtus antisyphilitica, validissime resolvens.

Usus. Morbi venerei.

Dosis. Grana sex solve in aquae destillatae libra una, mane et vesperi cochlear unum propinetur.

MERCURIUS VIVUS DEPURATUS, ARGENTUM VIVUM, HYDRARGYRUM.

Rp. Mercurii vivi q. v.

Immitte retortae vitreae in balneo arenae positae, excipulo aqua repleto simul imposito, ignem quantum potes lenem administra, attamen sufficientem, ut mercurius in excipulum transcendat, finita operatione, ab aqua separatus usui servetur.

Virtus, Ususque. Vid. P. I. *Mercurius.*

MIXTURA ANTEMETICA, HAUSTUM SALINUM ANTEMETICUM.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum scrupulum unum,

Succi citri recentis cochlear unum.

Virtus antemetica, solvens, antiseptica.

Usus. Phthisis pituitosa, vomitus febrilis. Tempore effervescentiae propinetur.

NAPHTHA ACETI,
AETHER ACETICUS.

Rp. Spiritus vini rectificatissimi,
Aceti radicalis ana partes aequales;
Mixta digere; et dein ex retorta, leni igne ad dimidium destilla. Liquori abstracto admisce
Cinerum clavellatorum depuratorum partem decimam sextam, in quatuor partibus aquae solutam, Naphtha supernatans asservetur.

Virtus, Usus Dosisque. Naphthae vitrioli.

NAPHTHA VITRIOLI,
AETHER VITRIOLI.

Rp. Acidi vitrioli concentrati depurati,
Spiritus vini rectificatissimi partes aequales, caute mixta destillentur in retorta vitrea tubulata balneo arenae quousque nihil sulphurosi odoris ascenderit.
Residuo iterum adde
Spiritus vini rectificatissimi partem dimidiam, et destillentur pristino modo. Hic labor duabus vicibus repetatur. His repetitis solutionibus in excipulo obtentus aether addito cinerum clavellatorum depuratorum pauxillo denuo in retorta vitrea leni igne destilletur, dein separatus vitro probe clauso servetur.

Virtus et *Usus* sequentis Naphthae.

NAPHTHA VITRIOLI PURISSIMA.

Rp. Naphthae vitrioli q. l. sub validis concussio-

nibus adde calcis salitae probe siccatae quantum sufficit, ut mistio in duos diversos liquores dividatur. Hoc tam diu cum Naphtha ope infundibuli a liquore inferiori semper separanda repetitur, quousque salita calx naphthae ultro addita perfecte sicca maneat. Dein retorta calce siccata salita superimpletur, et affunditur naphthae tantum, quantum ab interstitiis hujus salis plenarie suscipietur. Quo facto, retortae balneo arenae immissae lutatur recipiens amplissimum, quod elapsis viginti quatuor horis inter lenissimam destillationem, in frigida cum glacie sive nive aqua detineatur. Quam primum naphtha hoc semper aequali protracto lenissimo igne lentius stillare incipiet, tunc recipitur illa vitris munimento vitreo instructis, et loco frigido servetur.

Nota 1. In hac operatione calx salita eripit aetheri partes spirituosas.

Nota 2. Per succussionem aetheris cum calce salita obtenti inferiores liquores destillatione dant *Liquorem anodynum mineralem* Hoffmanni optimae notae.

Nota 3. Residua calx salita solutione, filtratione, et ad siccitatem inspissata, ad novas eiusmodi parandas operationes servetur.

Virtus antispasmodica, reficiens, anodyna, antiseptica, carminativa.

Usus. Affectus spasmodici, hysterici, soporosi,

paralytici, lentor humorum, febres nervosae, putridae, arthritis, rheumatismus, diarrhoea, dysenteria, labores parturientium, dolores a dentibus cariosis.

Dosis. A guttulis tribus ad sex supraque cum saccharo, aut mixturis.

NITRUM DEPURATUM,
NITRAS POTASSAE.

Rp. Nitri crudi q. l.
dissolve
In aquae fluviatilis fervidae q. s.
Filtratum evaporetur donec guttula inspersa frigido lapidi coaguletur, et reponatur in loco temperato ad crystallisandum; Residuus liquor denuo paululum evaporetur, et in crystallos redigatur. Hic labor eo usque repetatur, donec crystalli pulchrae surgunt.

Virtutem, Usum et *Dosin*, vid. P. I.

OLEA DESTILLATA, AETHEREA, VOLATILIA.

OLEUM ABSYNTHII DESTILLATUM.

Rp. Summitatum absynthii ante florum evolutionem collectarum modiceque siccatarum q. l.
Macerentur per triduum cum aquae communis sufficiente quantitate;
Destillentur postea e vesica ad tertiam partem repleta, oleum aquae innatans separetur, ipsa vero particulis adhuc olei im-

praegnata aqua novis destillationibus inservit.

Dosis. A guttula una, ad duas cum saccharo.

Nota. Eodem artificio alia quoque olea destillata parantur, ita tamen ut vegetabilia duriora, radices, ligna, et cortices huic usui destinata prius comminuantur, diutiusque macerentur, addito etiam sale muriatico.

Oleum Anisi,
Aurantiorum corticum,
Carvi seminum,
Caryophyllorum,
Chamomillae florum,
Cinamomi corticis,
Citri corticis,
Foeniculi seminum,
Juniperi baccarum,
Lavendulae florum,
Macis,
Melissae e herba,
Menthae crispae e herba,
Piperitidis,
Nucis moschatae,
Origani,
Rorismarini anthos,
Rutae e herba cum summitatibus,
Sabinae e summitatibus,
Tanaceti florum,
Terebinthinae,
Valerianae e radicibus.

Oleorum destillatorum propinandi methodum vid. *Elaeosacchara.*

OLEA EMPYREUMATICA,
OLEA DESTILLATA FOETIDA.

OLEUM ANIMALE DIPPELII.
OLEUM CORNU CERVI RECTIFICATUM.

Rp. Olei cornu cervi q. l.

Leni igne ex cucurbita vitrea, cum imposito alembico destillatur, et quod primum extillat oleum limpidum ab insequenti magis jam flavescenti, et ita secundum a tertio, mutato excipulo, separetur. Ad primam portionem limpidam perfecte rectificandam unica destillatio leni igne instituta sufficit: Posteriores vero portiones ut plurimum binas destillationes requirunt, in quibus itidem pars limpida, mutato excipulo, ab insequenti impuriori separetur, et tali modo labor continuetur, usque dum omne oleum limpidum et album fluat. Postea in vasis exiguis vitreis epistomiis et ligatura probe munitis in arena inverso modo positis servetur.

Virtus resolvens, sudorem excitans, antispasmodica.

Usus. Convulsiones, passio hysterica, epilepsia, hydrophobia, cephalalgia, hemicrania, otalgia, odontalgia a pituita s. spasmo orta. Arthritis, podagra, rheumatismus absente ple-

thora et inflammatione, febres vehementes intermittentes, tophi, exostoses, tubercula post arthritidem, glandulae induratae.

Dosis. A guttulis quinque, decem, cum saccharo s. liquore anodyno. Externe inunctio.

OLEUM CORNU CERVI.

Rp. Cornu cervi frustulatim concisi q. l.

Immitte retortae cum amplo excipulo, ac igne reverberio gradatim aucto destilletur. Sic prodibit *spiritus*, *sal* et *oleum*.

Oleum a spiritu separatum servetur.

Sal collectum repetita sublimatione cum dimidia carbonum parte ad albedinem rectificetur.

Spiritus repetita destillatione item cum quarta carbonum parte in balneo arenae rectificatus servetur.

Virtus insigniter stimulans, resolvens.

Usus externus. Ulcera frigida, nodi arthritici, glandulae induratae.

OLEA EXPRESSA, FIXA.

OLEUM AMYGDALARUM.

Rp. Amygdalarum dulcium q. l.

Contusis et sacculo forti linteo inclusis, Sub praelo eliciatur oleum.

Sic quoque parantur:

Oleum seminum lini

Oleum ricini.

(Nota, dempto antea cortice qui urente acritate gaudet.)

Virtutem et *Usum* horum oleorum vid. P. I.

OLEUM TARTARI PER SOLUTIONEM,
LIQUAMEN SALIS TARTARI,
LIQUOR CARBONATIS POTASSAE.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum partem unam,
Aquae destillatae partes tres. Solve, filtra.

Virtus et *Usus* cinerum clavellatorum.

Dosis. Drachma una cum syrupi cujusdam uncia dimidia miscetur et partitis praebiis sumitur, in assumtis venenis drachma integra cum uncia una aquae, quavis horae quarta parte bibitur.

OXYMEL AERUGINIS,
UNGUENTUM AEGYPTIACUM.

Rp. Aeruginis pulveratae uncias quinque,
Aceti totidem,
Mellis uncias quatuordecim;
Leni igne sub continua spatulae agitatione redigatur in consistentiam mellis.

Virtus exsiccans, mundificans, leniter corrosiva.

Usus. Externe ulcera sordida, callosa.

OXYMEL SCILLITICUM.

Rp. Aceti scillitici partem unam,
Mellis partes duas;
Leni igne in vase figulino coque ad consi-

stentiam syrupi, dein calide colatum asservetur.

Virtus et *Usus Aceti scillitici.*

Dosis. A drachmis duabus, ad tres.

Hoc modo paratur:

Oxymel colchicum

Oxymel simplex,

Cujus est virtus antiseptica, refrigerans, diaphoretica, diuretica.

Usus. Morbi acuti.

Dosis. Uncia una ad duas in mixturis, et decoctis.

PASTA de ALTHAEA.

Rp. Radicum althaeae incisarum uncias quatuor,
Aquae communis libras octo;
coque leni igne ad consumtionem dimidii, colaturae adde
Gummi arabici contusi purissimi,
Sacchari canariensis ana libras duas cum dimidia; colatus liquor leni igne evaporetur ad extracti consistentiam, radicula lignea semper agitando, remove dein ab igne et sub perpetua agitatione admisce successive
Albumina ovorum recentium numero viginti cum aquae florum aurantiorum conquassata, lento igne sub perpetua agitatione inspissa, donec materies manibus non adhaereat: Dein effundatur in laminam, conspergatur amylo et siccetur.

Virtus emolliens, leniens, involvens, expectorans, incrassans, demulcens.

Usus. Tussis sicca, raucedo, catarrhales affectiones, asthma.

PASTA GLYCYRRHIZAE.

Rp. Radicum glycyrrhizae decorticatarum uncias octo,

Aquae bullientis libras quatuor,

Infunde per duodecim horas, et in colatura solve

Gummi arabici,

Sacchari albissimi ana libras duas cum dimidia.

Colatura lenissimo igne evaporetur caute empyreuma vitando, donec gutta lapidi frigido instillata gelatinae instar concrescat, et detracta pellicula, in patellas oleo amygdalarum illitas, effundatur massa in hypocausto siccanda.

Virtus et *Usus* Pastae Althaeae.

PILULAE ALTERANTES.

Rp. Mercurii dulcis drachmas duas,

Sulphuris antimonii aurati drachmam unam,

Resinae guajaci,

Extracti gentianae ana drachmam unam et dimidiam;

Tere priores tres partes in pulverem tenuissimum, dein probe misce cum extracto gentianae, fiat massa pilularum.

Virtus resolvens, stimulans.

Usus. Obstructiones viscerum, indurationes glandularum, cutanei venerei morbi.

Dosis. A granis quatuor ad sex.

PULPA PRUNORUM.

Rp. Prunorum damascenorum q. l.

In sufficiente aquae fluviatilis quantitate coquantur, usque dum probe mollescant, per cribrum trajecta, ad mellis spissitudinem evaporentur. Tum cuilibet librae addantur sacchari unciae quatuor, et leni igne, usquedum consistentia electuarii surgat, coquantur.

Virtus et *Usus.* Vid. P. I.

Sic paratur

Pulpa Tamarindorum.

PULVIS ALTERANS.

Rp. Mercurii dulcis,

Sulphuris antimonii aurati ana unciam unam;

Terantur in mortario marmoreo tam diu usque dum pulvis subtilissimus fiat.

Virtus resolvens, antisiphylitica.

Usus. Obstructiones viscerum, scabies venerea, morbi venerei.

Dosis. A granis quatuor ad sex.

PULVIS CARBONUM.

Rp. Carbonum q. l.

Probe exurantur, quousque nullum amplius fumum edant, laminae ferreae exponantur, iisque extinctis, ab adhaerente iis ci-

nere ope follis liberentur et pulverisati in vitro serventur.

Virtus absorbens, antiseptica, detergens, anthelmintica.

Usus. Inveterata foetida ulcera, gangraena, vermes, dysenteria putrida; foetor oris.

Dosis. Interne drachma dimidia ad integram; externe inspersio, collutorium.

Nota. Ubi salia filtranda sint, optime illa hujus pulveris ope sacco immissi depurantur.

PULVIS DENTIFRICIUS.

Rp. Corticis peruviani uncias duas,
Radicis ireos Florentinae unciam unam,
Salis ammoniaci unciam dimidiam,
Catechu drachmas sex,
Myrrhae drachmas sex,
Misce, fiat pulvis, cujus unciae ad quamlibet praescriptionem addantur
Olei caryophyllorum guttae duodecim.

Virtus antiseptica, adstringens, roborans.

Usus. Externe, Mucus tartareus dentium, scorbutica gingivarum profluvia, dentes vacillantes, sub forma electuarii, gingivae et dentes mucore obducti fricentur.

PULVIS FUMALIS.

Rp. Mastichis,
Olibani,
Succini ana partes tres,
Styracis calamitae partes duas,

Benzoes,
Ladani ana partem unam,
Misce, fiat pulvis grossus,
Omissis olibano et succino, habetur *Pulvis fumalis nobilis*, cui, si cum floribus exigitur, adde
Florum lavendulae
Rosarum rubrarum ana partem unam.

PULVIS GALACTOPOEUS.

Rp. Magnesiae albae unciam unam,
Pulveris flavedinis corticum aurantiorum,
Seminis foeniculi ana drachmas duas,
Sacchari albi unciam dimidiam.
Misce, fiat pulvis.

Virtus antacida, roborans, absorbens.

Usus vid. *Magnesiam.*

Dosis. Nutricibus ad aliquot cochlearia parva de die datur.

PULVIS INFANTUM.

Rp. Magnesiae albae unciam unam,
Pulveris cinamomi drachmam unam,
Sacchari albi unciam dimidiam.

Virtutem et *Usum* vid. *Magnesiam.*

Dosis. A granis sex ad quindecim ter quaterve de die.

PULVIS IPECACUANHAE CUM OPIO.

Rp. Tartari vitriolati drachmas tres,
Pulveris radicis ipecacuanhae,
Opii puri ana scrupulum unum;

Terantur seorsim in pulverem subtilem, dein invicem exactissime permisceantur.

Hujus pulveris grana undecim continent in se granum unum opii.

Virtus incidens, aperiens, antispasmodica, diaphoretica.

Usus. Malum ischiaticum.

Dosis. A granis quinque ad undecim.

PULVIS MOSCHI COMPOSITUS.

℞. Moschi optimi grana sedecim,
Pulveris radicis valerianae sylvestris scrupulum unum,
Camphorae grana sex,
Misce, fiat pulvis.

Virtus penetrans, circulum sanguinis augens, irritans, resolvens, diaphoretica, nervina, antispasmodica, anodyna.

Usus. Morbi convulsivi, hysterici, epileptici, singultus, spasmi, tremor, subsultus tendinum, deliria, anxietas, tussis spasmodica, hydrophobia, mania, symptomata febrium malignarum.

Dosis. A granis decem ad viginti, infantibus a granis duobus ad sex.

PULVIS NITROSUS TEMPERANS.

℞. Tartari vitriolati,
Nitri depurati ana partes aequales,
Misce, fiat pulvis.

Virtus refrigerans, resolvens, antispasmodica.

Usus. Orgasmus sanguinis.

Dosis. A scrupulo uno ad duos.

PULVIS OPHTHALMICUS.

Rp. Sacchari albi,
Boli Rubrae,
Cremoris tartari ana unciam dimidiam, misce, fiat pulvis subtilissimus.

Usus. Pannus oculi, pellicula ex variolis superstes. Applicetur sine flatu parva portio hujus pulveris oculo.

RESINA JALAPPAE.

Rp. Radicis jalappae ponderosae q. l.
Contundatur in pulverem crassiusculum, affunde
Spiritus vini rectificatissimi sufficientem quantitatem.
Digeratur leni calore per aliquot dies, postea coletur et fortiter exprimatur, extractio haec toties repetatur, donec ultimus spiritus superaffusus non amplius tingatur, omnibus dein extractionibus acquisitis, commistis et filtratis aqua affundatur, et spiritus vini destillationis ope inde evocetur, sic resinosa substantia jalappae fundo cucurbitae haerebit, quae aqua limpida aliquoties lavetur, et ex balneo mariae ad piceam consistentiam redigatur, ac denique in cylindros contortos efformata asservetur.

Vid. *Radicem jalappae* P. I.

Sic parantur:

Resina ligni guaiaci.

scammonii.

ROOB JUNIPERI.

Rp. Baccarum juniperi maturarum recentium conquassatarum libras octo.

Coque in sufficiente quantitate aquae simplicis donec mollescant, tunc per setaceum et modice exprimantur, succus inde elicitus cum sacchari albi libra una leni igne ad mellis consistentiam redigatur.

Dosis. Ad uncias duas.

ROOB SAMBUCI.

Rp. Succi baccarum sambuci maturarum libras sex,

Sacchari albi libram unam;

Leni igne sub continua agitatione ad justam consistentiam redigatur.

Dosis. Ad unciam integram.

Hoc modo parantur:

Roob Berberum,

Oxycocci,

Ribium nigrarum,

rubrarum.

SAL AMMONIACUM DEPURATUM,

MURIAS AMMONIAE.

Rp. Salis ammoniaci crudi q. l.

Pulveretur in mortario lapideo, solvatur in

quinque partibus aquae simplicis ferventis, filtretur, et in vase vitreo ad cuticulam evaporetur, in loco frigido reponatur, et crystalli inde enatae, exsiccatae serventur. Cum residuo hicce labor eousque repetatur, donec nullae amplius crystalli surgant. Vid. P. I.

SAL MIRABILE GLAUBERI,
ALCALI MINERALE VITRIOLATUM,
SODA VITRIOLATA,
SULPHAS SODAE.

Rp. Residui post destillationem acidi salis communis q. l.

solve

In sufficiente quantitate aquae ferventis, peracta ope alcali mineralis saturatione, filtretur, evaporetur, et in loco frigido reponatur, ut crystalli enascantur, quae puriores redduntur repetita solutione.

Virtus et *Usus Tartari vitriolati.*

Dosis. Scopo resolvendi a drachma una ad tres; scopo vero laxandi ab uncia ad unciam unam et dimidiam.

SAL POLYCHRESTUS SEIGNETTI,
SODA TARTARISATA,
TARTRITIS SODAE.

Rp. Crystallorum tartari libras duas in sufficiente quantitate aquae solutas, in lebete stanno

probe obducto, tempore coctionis potassa saturentur, et dein adde

Salis communis uncias quinque et drachmas duas;

Solutione frigefacta, et tartaro vitriolato deposito filtretur, ad crystallisationemque evaporetur. Prima et secunda crystallisatio largitur pulchras crystallos salis Seignetti, sed illae repetita solutione et crystallisatione denuo depurentur.

Nota 1. Loco salis communis, sal mirabile Glauberi etiam adhiberi potest; in hoc casu tres librae crystallorum tartari saturantur potassa, in lixivio solvantur salis mirabilis Glauberi librae duae et dimidia, et expulso tartaro vitriolato, ut artis est, crystallisetur.

Nota 2. In utroque casu residuum lixivium acido tartari parando inservit, quum illud decenter aqua diluitur, filtratur et solutio calcis salitae additur eousque, donec nihil ulterius excidat. Selenites tartari aqua edulcoratur, sufficiente acidi vitrioli quantitate decomponitur. Et resolutus acidus liquor ulterius ad artis regulas tractetur.

Virtus incidens, detergens, resolvens, diuretica.

Usus. Humores crassi, urina movenda, alvus lubrica reddenda, varii morbi.

Dosis. A drachma una ad tres, scopo vero laxandi ad unciam unam et dimidiam.

SAL VOLATILE SALIS AMMONIACI, ALCALI VOLATILE SICCUM, CARBONAS AMMONIAE.

Rp. Salis ammoniaci pulverati sicci libram unam, Cretae purae pulveratae libras duas;

Mixta exacte, in retorta vitrea collo brevi praedita sublimentur; Excipulum tamen linteis humidis saepius mutatis frigide servetur, et juncturae vesica madida optime custodiantur. Sal, vasis refrigeratis, eximatur, inque vitris bene clausis, in loco frigido asservetur.

Nota. Residuum cum aqua coquitur, filtratur, ad siccitatem inspissatur, et ad parandum *Acidum tartari crystallisatum* et *Naphtham* depurandam sub titulo: *Calx salita* servetur.

Virtus penetrans, aperiens, stimulans, excitans, resolvens, diuretica, sudorifera.

Usus. Nervorum debilitas, exanthemata retropulsa, soporosae et apoplecticae affectiones, sphacelus senum, asphyxia, deliquium animi.

Dosis. Ab uno grano ad quatuor in forma liquida. Externe qua odoramentum.

SAPO MEDICATUS.

Rp. Lixivium causticum ex alcali minerali paratum evaporatione ad eam concentrationem perducendum, ut vitrum, quod unciam aquae capit, ejusdem drachmas undecim recipiat. Hoc lixivium cum partibus duabus olei oli-

varum purissimi in vase vitreo commisceatur, spatula lignea saepius agitando, quae mixtio spatio septem vel octo dierum accipiet albedinem et consistentiam saponis.

Virtus aperiens, resolvens, abstergens.

Usus. Obstructiones viscerum, acidum praedominans, rhachitis, scirrhi.

Dosis. A granis sex ad decem in forma pilulari.

SAPO MERCURIALIS.

Rp. Saponis alicantini q. l.

Teratur cum aqua calida donec totus plenarie solvatur, cui paulatim affunde

Solutionem mercurii vivi acido nitri perfecte saturatam ad plenariam saponis decompositionem.

Tunc oleum cum mercurio junctum in forma massae caseosae innatans multa aqua eluatur, et prius ope lintei fortiter, dein leniter praelo exprimatur.

Virtus antisyphilitica, potissimum resolvens, discutiens.

Usus. Omnes affectiones venereae, ut bubones, ulcera phagadaenica, tumores.

Nota. Sapo hic prius in mortario vitreo teratur cum spiritu salis ammoniaci caustici eo usque, donec haec massa instar linimenti evaserit. Quod indicat, spiritus salis ammoniaci sufficientem quantitatem additam fuisse, dum parva hujus massae portio cum aqua

exacte solvatur. Quo facto, fricentur tumores venerei, et quidem hoc modo: Dum bubo in inguine sit, pars interna femoris, quando glandulae subaxillares affectae sint, brachium fricetur, et sic de caeteris locis. Interne a granis tribus ad quinque, ulteriori tamen experientiae res adhuc committitur.

SPECIES EMOLLIENTES.

Rp. Herbae malvae,
Verbasci cum floribus ana partes duas,
Seminis lini contusi partes quatuor,
Incisis contusis fiant species.

vel:

Rp. Herbae althaeae,
Verbasci cum floribus ana partes duas,
Seminis lini contusi partes quatuor,
ut prius.

SPECIES PECTORALES.

Rp. Herbae tussilaginis
Hyssopi ana partes sex,
Radicis althaeae partes duas,
concisis contusis fiant species.

vel:

Rp. Herbae veronicae
Hederae terrestris
Tussilaginis ana partes sex,
Radicis liquiritiae,
Stipitum dulcamarae ana partes duas,
ut prius.

SPECIES PRO DECOCTO cum LIGNO GUAIACI.

Rp. Rasurae ligni guaiaci,
Radicis Bardanae ana partes sex,
Caricis arenariae
Saponariae partes tres,
Liquiritiae partes duas,
Concisis, contusis, fiant species.

vel:

cum LIGNO SASSAFRAS.

Rp. Radicis bardanae partes sex,
Ligni sassafras,
Stipitum dulcamarae ana partes duas,
Radicis liquiritiae partem unam,
fiant ut prius species.

vel:

cum LIGNO JUNIPERI.

Rp. Radicis bardanae,
Ligni juniperi ana partes sex,
Radicis graminis,
Baccarum juniperi ana partes tres,
Radicis liquiritiae partes duas,
misce, fiant species.

SPECIES PRO INFUSO THEAEFORMI.

Rp. Florum chamomillae vulgaris,
Herbae veronicae ana partes sex,
Foliorum salviae partes duas,
misce, fiant species.

SPECIES RESOLVENTES.

Rp. Herbae absynthii,
Menthae crispae,

Herbae Rutae ana partes sex,
Florum sambuci partes duas,
misce, fiant species.

vel:

Rp. Herbae Abrotani
Absynthii ana partes quatuor,
Tanaceti,
Serpylli ana partes duas,
ut prius.

In quibus speciebus requiritur radix liquiritiae separatim praescribatur, et sub fine coctionis illis addatur.

SPIRITUS AURANTIORUM CORTICIS.

Rp. Aurantiorum corticum partem unam,
Spiritus vini gallici partes quinque,
E cucurbita vitrea leni igne destillentur librae quinque.

Virtus carminativa, stomachica, calefaciens.

Dosis. A guttulis quadraginta ad centum.

SPIRITUS COCHLEARIAE.

Rp. Cochleariae recentis floridae libras octo,
Spiritus frumenti depurati libras decem,
Aquae communis libras decem,
destillentur librae octo.

Supra recentem herbam hic spiritus iterum cohobetur.

Virtus antiscorbutica, diuretica, carminativa.

Usus. Interne a guttis viginti ad sexaginta; externe collutoria.

SPIRITUS FORMICARUM.

Rp. Formicarum mensibus Junio aut Julio recens captarum libram unam,
Spiritus frumenti depurati libras duas,
Aquae communis libras duas,
destillentur inde librae duae.

Virtus tonica, nervina, resolvens.

Usus. Externe membra paralytica fricentur.

SPIRITUS FRUMENTI DEPURATUS.

Rp. Vini frumenti q. l.

Vesicae destillatoriae immittatur, et illi, per vices, eo usque admisceatur pulvis carbonum donec ingrato odore perfecte privetur, quod cognoscitur, spiritum manibus confricando, aut illum aquae tepidae affundendo, et dein ut artis est, destilletur.

Nota. Dum vino frumenti, in vesica pauxillum fere drachma una olei vitrioli ad amphoram additur, tunc depuratio spiritus minorem pulveris carbonum quantitatem requirit.

Virtus roborans, adstringens, irritans, antiseptica, inspissans, diaphoretica, stomachica.

Usus. Articulationum, aliarum partium laxitas, herniae, tumores oedematosi, ulcera vel vulnera pure nimio manantia, calli ossei mollities, gangraena a debilitate vis vitalis.

Dosis. Uncia una in aquae unciis quatuor bibitur, externe frictiones.

SPIRITUS LAVENDULAE.

Rp. Florum Lavendulae siccatorum libram dimidiam.
Aquae lavendulae libram unam.
Spiritus vini rectificati libras quatuor;
Per viginti quatuor horas macerentur, et tres inde librae eliciantur.

Hoc modo parantur:

Spiritus Menthae,
Melissae,
Rosmarini s. anthos,

SPIRITUS MINDERERI, SALSILAGO AMMONIACALIS, LIQUOR ACETATUS AMMONIAE.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum unc. quatuor.
Aceti destillati q. s. ad perfectam saturationem, evaporetur ad siccitatem, et in aceti destillati unciis octo solvatur, cui adde
Salis ammoniaci depurati pulverati retortae immissi uncias duas. Et ex balneo arenae leni calore destilletur ad siccitatem, sed, ne spiritus aduratur, caveas, et dein iterum cum unciis sedecim aquae diluatur, et pulveris carbonum ope filtretur.

Virtus aperiens, resolvens, excitans, antispasmodica, diuretica, sudorifera.

Usus. Languens eruptio exanthematum, variolarum, morbillorum, purpurae, febres pu-

tridae, arthritis, rheumatismus, hysteria, tussis suffocativa.

Dosis. A drachmis duabus ad unciam integram aliquoties de die.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI AQUOSUS,
LIQUOR CARBONATIS AMMONIAE.

Rp. Salis ammoniaci depurati libram dimidiam,
Cinerum clavellatorum depuratorum libram unam, cucurbitae vitreae immissis affunde
Aquae communis libras quinque,
E retorta vitrea, juncturis probe lutatis, in balneo arenae leni igne destilletur eo usque, donec liquor transiens omnem sublimatum in recipiente haerentem salem solvat, minusque salinus esse percipiatur, quo facto, excipulum mutetur et spiritus primo prolectus seorsim servetur.

Virtus et *Usus Salis volatilis ammoniaci.*

Dosis. A guttis triginta ad sexaginta cum menstruo idoneo.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS, CUM CALCE PARATUS,
LIXIVIUM AMMONIACALE,
LIQUOR AMMONIAE PURAE.

Rp. Calcis vivae recens ustae libram unam,
Extinguatur in aqua, quae refrigerata immittatur retortae, cui adde
Salis àmmoniaci uncias sex,
Aquae frigidae uncias triginta sex;

Quo facto retorta balneo arenae committatur, juncturis probe lutatis, leni igne destillentur spiritus unciae octo ad duodecim, qui vitro probe clauso asservetur.

Nota. Ex residuo, de quo sub praeparatione salis volatilis ammoniaci dictum est, elixetur *Calx salita.*

Virtus valde excitans, resolvens.

Usus. Pituitosae affectiones, catarrhus suffocativus, apoplexia serosa, paralysis.

Dosis. A guttulis decem ad viginti cum multa aqua. Externe cum oleo unguinoso frictiones.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI SUCCINATUS.

Rp. Olei succini rectificati guttas sexaginta,
Spiritus salis ammoniaci vinosi unc. duodecim;
Probe inter se mixta serventur ad usus externos.

Virtus prioris.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI VOLATILIS VINOSUS.

Rp. Salis ammoniaci libram dimidiam
Cinerum clavellatorum depuratorum libram unam;
Mixta immittantur retortae vitreae, quibus affunde
Spiritus vini libras duas, et leni igne ex retorta bene lutata destillentur, et spiritus

volatilis prodeuntis libra circiter colligatur.

Virtus resolvens, incidens, diuretica.

Usus. Pituitosorum humorum copia, menstruorum retentio a lenta pituita, febres intermittentes tempore frigoris. Externe pro odoramento.

Dosis. Ad guttulas quindecim in vehiculo.

SPIRITUS SALIS DULCIS, VINOSUS MURIATICUS, ACIDUM SALIS DULCIFICATUM.

℞. Magnesiae vitrariorum partem unam et dimidiam.

Caute immittas retortae, et affunde

Acidi muriatici concentrati partes quinque,

Spiritus vini rectificatissimi partes tres;

Leni igne, e balneo arenae, recipiente adaptato, destillentur,

Liquor in vitro probe clauso servetur.

Virtus analeptica, antiseptica, excitans, refrigerans, antispasmodica, diuretica.

Usus. Febres nervosae putridae, biliosae, affectiones spasmodicae, dysenteria, cholera, colica flatulenta, arthritis, rheumatismus, dolores ex menstruis, fluxus nimius haemorrhoidum, ulcera oris, debilitas ventriculi.

Dosis. A guttis quadraginta ad sexaginta in mixturis; externe collutoria cum melle rosarum.

SPIRITUS SAPONIS.

Rp. Saponis albi hispanici rasi uncias quatuor,
Cinerum clavellatorum depuratorum uncias duas, coque in lebete cum aquae libra una saepius agitando ad consistentiam extracti, immitte in cucurbitam, et affunde spiritus lavendulae uncias sedecim, digere leni igne ad perfectam saponis solutionem, per quatuor dies repetitis vicibus agitetur, dein filtretur.

Virtus detergens, resolvens, attenuans.

Usus externus.

Nota. Spiritus hic efficacior fit, dum illi uncia dimidia camphorae additur.

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS.

Rp. Spiritus vini rectificati libram unam
Camphorae unciam unam et dimidiam, solvantur in vase clauso et serventur.

Virtus discutiens roborans.

Usus. Externe, sugillationes, tendinum et ligamentorum debilitas, sed in fibra rigida, et inflammatione ubique vitandus sit.

STANNUM PRAEPARATUM,
PULVIS STANNI.

Rp. Stanni anglici puri lima prius comminuti partes duas.
Cretae purae partem unam;
Mixta in mortario lapideo terantur in pulverem non nimis tenuem.

Virtus anthelmintica.

Usus. Taeniae.

Dosis. A granis viginti ad quadraginta.

Cave ne stannum plumbo sit inquinatum.

SUCCUS AD SCORBUTICOS.

Rp. Cochleariae, sive alius expetitae herbae q. l.

Praelo succus expressus subsidentia et colo puretur.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII, OXYDUM STIBII SULPHURATUM AURANTIACUM.

Rp. Antimonii partes duas,
Sulphuris partes tres,
In pulverem subtilem contritae commisceantur cum sufficiente lixivio caustico, in lebete ferreo per coctionem solvantur, per saccum filtrentur, liquor aqua sufficiente diluatur. Sulphur antimonii ope acidi sulphuris tenuis praecipitetur, caute tamen ne copia nimia acidi admisceatur. Et obtentum praecipitatum aqua tepida perfecte edulcoretur, leniter siccetur.

Virtus resolvens, diuretica, diaphoretica, in majori dosi emetica.

Usus. Obstructiones viscerum abdominalium, mucositas pectoris, febres intermittentes larvatae, hydrops, tussis ferina, catarrhus suffocativus, chronica exanthemata, glandularum tumores, rhachitis, cachexia, rheumatismus, podagra.

Dosis. A granis tribus ad quatuor et ultra adultis, infantibus a quarta grani parte ad granum unum cum saccharo, sive cum menstruo liquido idoneo.

SYRUPUS ACETI.

Rp. Aceti vini fragrantis libras duas,
Sacchari albi libras quatuor,
Coquantur intra unicam ebullitionem in vase vitreo in syrupum.

Virtus antiseptica, refrigerans.

SYRUPUS ALLII.

Rp. Capitum allii minutim incisorum unc. sex,
Aquae ferventis uncias duodecim.
Macerentur per duodecim horas in vase vitreo probe clauso. Quo facto, in liquore percolato solvatur
Sacchari albi pulverati duplum respectu liquoris, ut fiat syrupus.

Virtus sub *Allio* dicta est.

Dosis. Cochlear theanum.

SYRUPUS ACETOSITATIS CITRI.

Rp. Succi citri depurati uncias decem,
Sacchari albi uncias viginti,
Mixta aliquoties ebulliant et per flanellam calide filtrentur.

Hoc modo fiunt:
Syrupus Berberum,
Rubi idaei.

SYRUPUS ALTHAEAE.

Rp. Radicum Althaeae decorticatarum libram dimidiam,
Aquae libras sex; coque ad consumtionem tertiae partis, colaturae expressae et subsidentia depuratae adde sacchari albi libras sex, et fiat unica ebullitione syrupus.

Virtus et *Usus* sub *Althaea.*

Dosis. Ad unciam unam.

SYRUPUS AURANTIORUM CORTICUM.

Rp. Flavedinis corticum aurantiorum libr. dimidiam.
Aquae communis fervidae libras tres.
Per biduum in vase clauso macerentur, et colaturae depuratae adde
Sacchari albi libras quatuor.

Virtus et *Usus* vid. *Aurantiorum cortex.*

Dosis. Ad unciam integram.

SYRUPUS CINAMOMI.

Rp. Cinamomi acuti (florum cassiae) contusi uncias quinque,
Aquae cinamomi vinosae libras duas,
In cucurbita vitrea clausa per Nychtemeron digerantur.
Colaturae adde
Sacchari albi clarificati libras tres et unc. quatuor.

Virtus et *Usus* vid. *Cinamomi corticem.*

Dosis. Cochlear theanum.

SYRUPUS E MANNA.

Rp. Foliorum sennae uncias quatuor,
seminis foeniculi drachmas duas,
affunde
Aquae ebullientis libras duas;
In loco calido per aliquot horas macerentur, et in infuso expresso dissolve
Mannae electae uncias sex,
sacchari albi uncias viginti duas,
coque in syrupum.

Virtus aperiens, laxans.

Dosis. Ad unciam integram.

SYRUPUS RHEI.

Rp. Rhei uncias duas
Cinerum clavellatorum depuratorum drachmam unam et dimidiam;
Digerantur per duodecim horas in aquae simplicis unciis octodecim, et in colatura expressa solve
Sacchari albi partes duas, leni igne in syrupum redigatur.

Virtus et *Usus* vid. *Rheum.*

Dosis. Ad uncias integras.

SYRUPUS VIOLARUM.

Rp. Florum violarum recentium a calice viridi liberatorum libram unam,
Aquae destillatae libras tres;
Per Nychtemeron macerentur in vase vitreo, et coletur sine expressione, dein cum sacchari albi duplo sine calore fiat syrupus.

Virtus solvens, leniter laxans, analeptica.
Usus. Saporis gratia mixturis additur.

TARTARUS EMETICUS,
STIBIATUS,
ANTIMONIALIS,
POTASSAE STIBIATUS.

Rp. Vitri antimonii subtilissime pulverati uncias duas,
Crystallorum tartari pulverisatarum uncias quatuor,
Aquae destillatae libras sex,
Coquantur in vase vitreo sive vitro incrustato, per duodecim horas et ultra, spatula lignea agitando, et jactura aquae nova affusione ejus subinde redimpleatur, lixivium obtentum filtretur fervidum, evaporetur lente ad siccitatem, statimque tota massa pulverisetur, et in vase vitreo sicco servetur.

Virtus emetica, in minima dosi resolvens, diaphoretica, diuretica, antispasmodica.

Usus. Obstructiones, exanthemata retropulsa, hemiplegia, paralysis, lethargus, incipiens cataracta, pituita pectoris, tussis ferina, arthritis, rheumatismus, febres biliosae, putridae, malignae intermittentes, dysenteria biliosa putrida, catarrhus suffocativus, ventriculi molesta oneratio, venenum ingestum, exanthematum languens eruptio.

Dosis. Grana duo ad tria cum aqua destillata; scopo resolvendi ad granum dimidium.

TARTARUS BORAXATUS,
CREMOR TARTARI SOLUBILIS.

Rp. Crystallorum tartari uncias sedecim,

Boracis depurati uncias quatuor;

Seorsim subtilissime pulverisentur, inter se probe permisceantur, et vitro probe clauso serventur.

Virtus incidens, aperiens, refrigerans, in majori dosi laxans.

Usus. Dysenteria biliosa, febris inflammatoria, haemoptysis, obstructio viscerum, icterus, haemorrhoides.

Dosis. A granis decem, ad drachmas.

TARTARUS TARTARISATUS,
ALCALI VEGETABILE TARTARISATUM,
TARTRIS POTASSAE.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum q. l.

solve

In aquae simplicis partibus octo;

Solutioni calenti adde cochleatim crystallos tartari pulverisatas ad punctum saturationis, liquor calidus filtretur, leni igne in vase figulino ad siccitatem evaporetur, salque vitro bene clauso servetur.

Virtus et *Usus* sequentis T.

Dosis. A drachma ad drachmas tres.

TARTARUS VITRIOLATUS,
ARCANUM DUPLICATUM,
ALCALI VEGETABILE VITRIOLATUM,
SULPHAS POTASSAE.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum q. l.
Solvantur in sufficiente quantitate aquae communis.
Solutioni successive et guttatim instilla
Spiritus vitrioli quantum satis ad perfectam saturationem. Liquor filtratus leni igne ad crystallisationem evaporetur.

Virtus solvens, aperiens, diuretica, majori dosi laxans.

Usus. Sordes primarum viarum, febres intermittentes, febris inflammatoria, icterus, podagra, atrophia, rhachitis, hydrops, chlorosis, menstrua suppressa.

Dosis. Scopo digerendi a granis quindecim ad triginta.

TERRA FOLIATA TARTARI,
OXYTARTARUS,
ALCALI VEGETABILE ACETATUM,
ACETAS POTASSAE.

Rp. Cinerum clavellatorum depuratorum q. l.
Immissis vitro amplo successive affunde
Aceti destillati quantum sufficit ad perfectam saturationem et paululum plus. Dein liquor ope pulveris carbonum filtratus leni calore inspissetur. Sive, sumitur sal so-

dae aceto destillato saturatus, evaporetur ad cuticulam, filtretur pristino modo, in crystallos redigatur, et vocatur *Terra foliata tartari crystallisata*, seu *Acetas sodae*, sive *Soda acetosa.*

Virtus refrigerans, aperiens, diuretica, abstergens, laxans.

Usus. Pituita primarum viarum, scirrhus hepatis, arthritis, rheumatismus, obstructio viscerum, hydrops, chlorosis, strumae, febres acutae, intermittentes, atrophia, rhachitis, icterus, ataxia mensium, affectus haemorrhoidales, scorbutus, melancholia, mania.

Dosis. A scrupulo ad drachmam.

TERRA PONDEROSA SALITA, MURIAS BARYTAE.

℞. Spati ponderosi purissimi in subtilem pulverem redacti partes duas,

Potassae depuratae partes tres.

Coquantur cum tribus ad quatuor partibus aquae communis, sub continua mixtione, ad siccitatem, et hoc dein cum denuo affusa aequalis quantitatis aqua duabus adhuc vicibus repetatur. Quo facto Terra ponderosa excussa, ope aquae ferventis, ab omnibus partibus salinis perfecte edulcoretur; Dein illi acidum muriaticum parvis dosibus affundatur eousque, donec prorsus effervescentia cesset. Liquor filtratus in cucurbita ad perfectam siccitatem evaporetur, sal in cruci-

bulo tecto, successive aucto igne fundatur, decantetur in laminam, solvatur fere quinta ad sextam aquae quantitate. Liquor filtratus, ut superstites forsan metallicae particulae perfecte expellantur, cum pauca additione terrae ponderosae aeratae purae praecipitationem per potassam obtentae, per breve tempus leniter digeratur. Denique iterum filtretur, leni evaporatione secundum artis regulas crystallisetur; Et obtentae crystalli, omni vice, antequam illae siccentur, aliquantisper aqua frigida cito abluantur.

Virtus diuretica, resolvens, irritans.

Usus. Scrophulae, strumae, scirrhi, cancri, pituita, asthma, ascarides, ulcera scrophulosa.

Dosis. Crystallorum drachma dimidia solvitur uncia una aquae destillatae, hujus solutionis infantibus guttae decem ad viginti, aliquando syrupo rubi idaei temperatae exhibentur. Vel grana quatuor binis aquae destillatae unciis dissolvuntur, ejusque liquoris guttae quinquaginta ad sexaginta aegris propinantur.

TINCTURA CANTHARIDUM.

℞. Cantharidum pulveratarum unciam unam,
Spiritus vini libram unam;
Per triduum digerantur, filtrentur.

Virtus Externe rubefaciens, resolvens, catheretica.

Usus. Interne diabetes vera, rabies canina.

Dosis. A guttis decem ad triginta cum Emulsione.

TINCTURA CASTOREI.

Rp. Castorei Nostratis in parva frustula concisi unciam unam.
Cinerum clavellatorum depuratorum drachmas duas.
Spiritus vini rectificati libras duas,
Per triduum digerantur, Tinctura cum expressione colata servetur.

Virtus antispasmodica.

Usus. Passiones hystericae et spasmodicae.

Dosis. A guttis viginti ad quadraginta.

TINCTURA CATECHU.

Rp. Catechu grosse contusi partem unam,
Spiritus vini rectificati partes sex;
Per tres dies digerantur, filtrentur.

Virtus et *Usus* vide P. I.

Dosis. A viginti ad triginta guttulas.

TINCTURA EUPHORBII.

Rp. Euphorbii unciam unam,
Spiritus vini rectificati uncias octo;
Per tres dies digere, filtra.

Virtus Catheretica.

Usus externus. Caries ossium.

TINCTURA LACCAE AQUOSA.

Rp. Granorum laccae unciam unam,
Aluminis crudi unciam dimidiam,
Aquae destillatae uncias sex;
Coctis et refrigeratis adde
Aquae destillatae salviae,
Rosarum ana uncias duas,
Dein filtra.

Virtus et *Usus* sequentis T.

TINCTURA LACCAE SPIRITUOSA.

Rp. Laccae tritae unciam unam,
Myrrhae drachmas tres,
Spiritus cochleariae libram unam et dimidiam;
Per aliquot dies digerantur, colentur.

Virtus roborans.

Usus externus. Laxitas gingivarum, stomacace, ulcera scorbutica.

TINCTURA MYRRHAE.

Rp. Myrrhae pulveratae uncias quatuor,
Spiritus vini rectificati libras duas.
Per tres dies digere, filtra.

Virtus stimulans.

Usus externus. Ulcera.

TINCTURA SALINA COMPOSITA.

Rp. Flavedinum corticum aurantiorum,
Radicis gentianae concisae ana unciam unam,

Aquae destillatae communis libram unam,
Cinerum clavellatorum depuratorum uncias quatuor;
Per quatriduum digerantur, colatis adde
Spiritus vini rectificati uncias quatuor.

Virtus resolvens, attenuans, antacida, diuretica.

Usus. Acidum primarum viarum, digestio depravata, defectus bilis, obstructio viscerum, icterus, atrophia infantum, rhachitis, scabies, sabulum.

Dosis. A drachma una ad duas.

TINCTURA TONICA MARTIALIS FLAVA.

Rp. Limaturae martis purissimae q. l.

Solve

In acido salis ad saturationem. Liquor filtratus ad siccitatem evaporetur, et sal in retorta successive aucto igne usque dum retorta candeat sublimetur; Tum in collo depositus laxus squammosus fuscusque sal per intervalla ope spatulae ligneae eximatur, finita sublimatione omnis elicitus sal libero aeri aut cellae, ut deliquescat, exponatur. Drachmae tres hujus fluidi cum unciis duodecim alcoholis vini misceantur et in albis vitris obturatis tam diu radiis solis exponantur, donec tinctura flavum suum colorem perfecte amiserit et instar aquae pellucidae evaserit.

In umbra huic tincturae pristinus flavus color redit.

Dosis. A guttulis quinque, decem, ad viginti quinque in menstruo idoneo.

TROCHISCI BECCHICI ALBI, ALTHAEAE COMPOSITI.

Rp. Pulveris radicis althaeae unciam unam,
iridis florentinae unciam dimidiam,
Sacchari albi libram unam et dimidiam;
Misce, fiat cum mucilagine gummi arabici q. s. massa, ex qua trochisci formentur.

Virtus et *Usus* Pastae Althaeae.

UNGUENTUM ALTHAEAE, CITRINUM.

Rp. Mucilaginis radicis althaeae,
seminis lini ana uncias octo,
Butyri non saliti uncias triginta duas,
Radicis curcumae pulveratae drachm. tres;
Coque ad humiditatis consumtionem, dein filtratis adde
Cerae flavae uncias quatuor,
Terebinthinae larignae unciam unam;
Omnia simul mixta per pannum lineum pressa serventur.

Virtus èmolliens, leniens.

Usus. Extus Tumores duri, fibrae rigidae.

UNGUENTUM BASILICUM.

Rp. Olei olivarum uncias duodecim,
Cerae flavae,
Picis navalis,
Sevi vervecini,
Terebinthinae ana uncias tres;
Leni igne liquentur, colentur.

Virtus emolliens, digerens, maturans.

Usus. Externe, Ulcera sordida.

UNGUENTUM DIGESTIVUM.

Rp. Terebinthinae larignae libram unam, cum vitellis ovorum numero octo misceantur, subigantur in unguentum.

Extempore paretur.

Virtus digerens, maturans.

Usus externus. Suppuratio ulcerum promovenda.

UNGUENTUM MERCURIALE, GRISEUM.

Rp. Axungiae porcinae recentis depuratae uncias octo,
Liquatae, ab igne remotae, et jam frigescenti successive adde
Mercurii vivi depurati uncias quatuor;
In mortario lapideo diligenter terantur quousque globuli mercuriales perfecte disparuerint. Quo facto, labor spatio duarum horarum adhuc protrahatur.

Nota. Loco mercurii vivi assumitur mercurius solubilis, cujus drachmae duae cum axungiae porcinae unciis tribus, continua et diu protracta trituratione inter se intime commisceantur.

Virtus maxime resolvens, antisiphylitica, valde discutiens.

Usus. Tumores venerei extus fricentur ad drachmam unam et ultra.

UNGUENTUM NERVINUM.

Rp. Sevi ovilli depurati uncias octo,
leni calore liquato adde
Olei laurini libram unam,
destillati terebinthinae unciam unam;
Petrae unciam dimidiam;
Mixta subigantur, donec refrixerint.

Virtus irritans, resolvens, roborans.

Usus. Externe, Debilitas ligamentorum, partium mollium rigiditas, paralysis, colica flatulenta spasmodica, diarrhoea a laxitate intestinorum.

UNGUENTUM POMADINUM, ROSACEUM.

Rp. Axungiae porcinae recentis uncias triginta duas, infunde guttatim
Aquae rosarum uncias quatuor
Continue instillando, optime pistillo ligneo subigendo, donec niveam acquisiverit

albedinem; Tunc pro lubitu olea odorata, ut oleum lavendulae, addantur.

Virtus emolliens, lubricans, demulcens.

Usus. Externe, Fissurae mammarum, labiorum, manuum, uberum rhagades, haemorrhoides dolentes.

UNGUENTUM SATURNINUM.

℞. Cerae leni igne liquatae uncias decem,
Olei olivarum libram unam et dimidiam,
Aceti saturnini uncias octo;
Subigantur spatula lignea donec refrixerint.

Virtus resolvens, refrigerans, discutiens, excitans.

Usus. Externe, Ambustiones, ulcera cutis.

UNGUENTUM SULPHURIS COMPOSITUM, CONTRA SCABIEM.

℞. Axungiae porcinae libram unam,
Florum sulphuris uncias duas,
Vitrioli albi unciam unam,
misce, fiat unguentum.

Virtus adstringens, repellens, exsiccanns.

Usus. Externe, scabies.

VINUM ANTIMONIALE.

℞. Vitri antimonii pulverati unciam unam,
Vini hispanici libras duas.

Digerantur per duodecim horas, interdum agitando. Liquor filtretur, et in vitro bene obturato servetur.

Virtus valide resolvens, alterans.

Usus. Impuritates sanguinis, exanthemata chronica, obstructiones viscerum, scabies, tinea, facies variis maculis defoedata, rhachitis, atrophia, diathesis pituitosa, melancholia, mania, epilepsia.

Dosis. A guttis duabus ad quatuor infantibus; Adultis a guttis viginti ad triginta, et, semel in die sensim guttas augendo, exhibeatur.

VITRUM ANTIMONII.

Rp. Antimonii in pulverem tusi q. l.

ustuletur in vase vitreo plane non vitreato, movendo perpetim fistula tabacaria donec nullum ultra fumum spargat. Si massa igne conglutinatur, de novo tundi debet; Tum haec calx in crucibulo igni fortiori exponatur, fundatur in vitrum pellucidum hyacinthinum.

VITRUM ANTIMONII CERATUM.

Rp. Cerae flavae drachmam unam,

Liquefactae in vase vitreo injiciatur

Vitri antimonii subtilissime pulverati uncia una, detineatur super ignem lenem per horam dimidiam, spatula assiduo agitando, dein effundatur materies in chartam, et frigefacta in pulverem teratur.

Virtus emetica.

Usus. Dysenteria, et diarrhoea rebellis, haemorrhagia uteri.

Dosis. A grano uno ad sex cum syrupo quodam, bis, ter, per duodecim horas.

INDEX PARTIS I.

A.

INDEX PARTIS II.

A.

F.

H.

PHARMACOPOEA FENNICA.

Cum gratia et privilegio Sacrae Imperialis Majestatis.

NORMAE PHARMACEUTICAE.

1. *Herba* et *folia* colligantur sub coelo sereno, proxime ante florescentiam. Siccentur celeriter sub umbra loco ventoso *Flores* legantur, quamprimum aperti sint. Siccentur ut herbae. *Radices* vegetabilium biennium perenniumque effodiantur primo vere; purgentur e pulvere humi, similiterque siccentur loco umbroso. Succosae radices in furno arescant.

2. *Horrea* pro materiis vegetabilibus spatiosa sunto, sicca et ab aëre libero non seclusa. Substantiae quae *volatiles* fovent partes in vasis probe clausis conserventur, neque in antecessum majore copia pulverentur, quam prout poposcerit usus quotidianus.

3. In praeparatione pharmacum compositorum singulae *substantiae solidae*, post pulverationem seorsim ponderentur.

4. *Extracta*, pauxillo alcoholis adspersa, in vasis terreis bene clausis loco frigido serventur.

5. *Pilulae*, inprimis quae volatiles habent partes, conserventur in vasis probe obturatis, neque majore quantitate parentur, quam quae brevi consumatur.

6. *Alcoholes, Tincturae, Aetheres, Aetherolea, Olea, Electuaria, Unguenta, Emplastra* conserventur in locis frigidis; *Syrupi, Vina* et *Aquae destillatae* in cellis subterraneis, et *Aquae* quidem in vasis terreis nonnisi papyro obtectis.

7. *Resinae* et *Gummi-resinae* praeprimis hieme, frigidissima tempestate pulverentur.

8. *Quantitates* materiarum pondere, non vero mensura ut magis incerta, definiantur.

Typus ponderum.

Libra nostra pharmaceutica, eadem quae apud Germanos in usu est, continet 357,6639 Grammas Gallorum, 7443,997 Asses Belgicos vel Troicos, 0,84132 Libras victualium Svecicas, 0,87687 Libras Rossicas mercatorias.

Divisio ejus hoc modo in partes secta est ut contineat

		uncias.	drachm.	scrup.	grana.
Libra (℔j) s. grammae	357,6639	12	96	288	5760.
Uncia (℥j) s. gr.	29,805	-	8	24	480.
Drachma (ʒj)	3,7256	-	-	3	60.
Scrupulus (℈)	1,24	-	-	-	20.
Granum (gr. j)	0,062.				

MATERIA PHARMACEUTICA.

ABSINTHIUM. Summitates.

Artemisia absinthium L.

ACETUM VINI GALLICUM.

ACETUM SICERAE.

ACIDUM VITRIOLI vulgo *Oleum vitrioli.*

Acidum sulphuricum.

ACONITUM. Folia.

Aconitum Neomontanum Willd. *Napellus* L. *Cammarum* L. et *tauricum* L.

AERUGO sive *Viride aeris.*

Acetas supercupricus impurus.

ALCANNA. Radix.

Anchusa tinctoria L.

ALLIUM. Bulbus recens.

Allium sativum L.

ALOE. Succus foliorum inspissatus.

CAPENSIS.

SOCCOTRINA.

Aloë arborescens, mitraeformis et soccotrina Decand.

ALTHAEA. Radix.

Althaea officinalis L.

ALUMEN CRUDUM.

Sulphas aluminae subpotassicus.

AMMONIACUM. Gummi-resina.
Ferula ferulago L.

AMYGDALAE. Nuclei.
Amarae.
Dulces.
Amygdalus communis L.

AMYLUM.
Triticum hibernum et turgidum L.

ANGELICA. Radix.
Angelica archangelica L.

ANGUSTURA. Cortex.
Bonplandia trifoliata Willd.

ANISUM. Semina.
Pimpinella anisum L.

ANISUM STELLATUM. Capsulae cum seminibus.
Illicium anisatum L.

ANTIMONIUM CRUDUM.
Sulphuretum stibii.

AQUA FORTIS.
Acidum nitricum impurum.

ARGENTUM FOLIATUM.

ARMORACIA. Radix recens.
Cochlearia armoracia L.

ARNICA. Flores. Radix.
Arnica montana L.

ARSENICUM ALBUM.
Acidum arsenicosum.

ASA FOETIDA. Gummi-resina.
Ferula asa foetida L.

AURANTIUM. Aetheroleum fructus, s. oleum Bergamot. Cortex fructus ma-

turi siccatus. Flavedo s. epidermis corticis. Flores saliti s. fl. Naphae. Fructus immaturus s. pomum.

Citrus aurantium L.

AURUM FOLIATUM.

AXUNGIA PORCI s. *adeps suilla.*

Sus scrofa L.

BALSAMUM COPAIVAE BRASILIENSE.

Copaifera officinalis L.

BALSAMUM PERUVIANUM s. *indicum.*

Myroxylon peruiferum L.

BARDANA. Radix.

Arctium lappa et bardana Willd.

BELLADONNA. Folia. Radix.

Atropa belladonna L.

BENZOE. Resina.

Styrax benzoin Dryandri.

BERBERIS. Baccae. Succus baccarum.

Berberis vulgaris L.

BISTORTA. Radix.

Polygonum bistorta L.

BISMUTHUM s. *Marcasita.*

BOLUS ARMENIA.

Argilla cum oxido ferrico.

BORAX.

Borax supersodicus.

CACAO. Nuclei.

Theobroma cacao L.

CAJEPUT. Aetheroleum foliorum.

Melaleuca leucadendron L.

CALAMUS AROMATICUS. Radix.
Acorus calamus L.

CALX USTA.

CAMPHORA DEPURATA.
Laurus camphora L.

CANELLA ALBA. Cortex.
Canella alba Murray.

CANNABIS. Semina.
Cannabis sativa L.

CANTHARIDES.
Lytta vesicatoria Fabricii.

CARDAMOMUM MINUS. Capsulae cum seminibus.
Elettaria cardamomum Roscoe.

CARDUUS BENEDICTUS. Herba.
Centaurea benedicta L.

CAREX ARENARIA. Radix.
Carex arenaria L.

CARVUM. Semina.
Carum carvi L.

CARYOPHYLLATA. Radix.
Geum urbanum L.

CARYOPHYLLI. Flores nondum explicati.
Eugenia caryophyllata Thunb.

CASCARILLA. Cortex.
Croton eluteria Swartz.

CASTOREUM MOSCOVITICUM. Materia folliculis in confinio genitalium majoribus inclusa.
Castor fiber L.

CATECHU s. *Terra japonica.* Extractum aquosum ligni et fructus induratum.
Acacia catechu Willd.

CEPA. Bulbus recens.
Allium cepa L.

CERA ALBA et FLAVA.
Apis mellifica L.

CERASUS. Drupae acidulae recentes et siccatae.
Prunus cerasus L.

CERUSSA.
Carbonas plumbicus.

CHAMOMILLA VULGARIS sive *Nostras.* Flores.
Matricaria chamomilla L.

CHINA. Radix.
Smilax china L.

CINA s. *Santonicum.* Semina.
Artemisia judaica, vel santonica vel Contra L.

CINNABARIS FACTITIA.
Sulphuretum hydrargyri rubrum.

CINAMOMUM CEYLANICUM. Cortex interior.
Laurus cinamomum L.

CITRUS. Cortex fructus. Flavedo corticis. Aetheroleum flavedinis s. oleum de Cedro. Succus fructus.
Citrus medica L.

COCCINELLA.
Coccus cacti L.

COCHLEARIA. Herba recens.
Cochlearia officinalis L.

COLOCYNTHIS. Fructus.
Cucumis colocynthis L.

COLOPHONIUM. Resina.
Pinus abies et sylvestris L.

COLUMBO. Radix.
Menispermum palmatum Lamark.

CONIUM. Folia.
Conium maculatum L.

CORIANDRUM. Semina.
Coriandrum sativum L.

CORNU CERVI.
Cervus elaphus, Alces et Tarandus L.

CRETA ALBA.
Carbonas calcis.

CROCUS. Stigmata.
Crocus sativus L.

CUBEBAE. Semina.
Piper cubeba L.

CUPRUM.

CURCUMA. Radix.
Amomum curcuma Jacquini.

CYDONIA. Semina.
Pyrus cydonia L.

CYMINUM s. *Cuminum.* Semina.
Cuminum cyminum L.

DIGITALIS. Folia.
Digitalis purpurea L.

DULCAMARA. Stipites s. ramuli.
Solanum dulcamara L.

ENULA. Radix.
Inula helenium L.

EUPHORBIUM, Gummi-resina.
Euphorbia officinarum L.

FABA PICHURIM. Semina.

Laurus pichurim Humboldt.

FEL TAURINUM RECENS.

Bos taurus L.

FERRUM. Limatura.

FICUS PASSAE s. *Caricae.* Receptacula carnosa.

Ficus carica L.

FILIX MAS. Radix.

Aspidium filix mas Swartz.

FOENICULUM. Semina.

Anethum foeniculum L.

FOENUM GRAECUM. Semina.

Trigonella foenum graecum L.

FRAXINUS. Cortex ramulorum.

Fraxinus excelsior L.

FUMARIA. Herba.

Fumaria officinalis L.

GALANGA. Radix.

Alpinia galanga Roscoe.

GALBANUM. Gummi-resina.

Bubon galbanum L.

GALLAE. Excrescentiae foliorum et petiolorum a nidulantibus insectis excitatae.

Quercus infectoria Olivieri.

GENTIANA RUBRA. Radix.

Gentiana lutea L.

GRAMEN. Radix.

Triticum repens L.

GRATIOLA. Herba.

Gratiola officinalis L.

GUAIACUM. Lignum. Resina.
Guaiacum officinale.

GUMMI ARABICUM.
Acacia vera Willd.

GUMMI GUTTA s. *Cambogia.* Gummi-resina.
Cambogia gutta L.

GUMMI TRAGACANTHA.
Astragalus creticus Lamark.

HELLEBORUS NIGER. Radix.
Helleborus niger L.

HIRUDINES VIVAE.
Hirudo medicinalis L.

HYDRARGYRUM.

HYOSCYAMUS. Folia.
Hyoscyamus niger L.

HYSSOPUS. Herba.
Hyssopus officinalis L.

JALAPPA. Radix.
Convolvulus jalappa L.

ICHTYOCOLLA.
Accipenser huso et sturio L.

IPECACUANHA. Radix.
Psycotria emetica Mutis.

IRIS FLORENTINA Radix.
Iris florentina L.

JUGLANS. Putamen drupae immaturae. Oleum nucleorum.
Juglans regia L.

JUNIPERUS. Baccae. Lignum.
Juniperus communis L.

KINKINA. Cortex flavus s. regius.
Cinchona cordifolia Mutis.
Cortex fuscus s. Peruvianus.
Cinchona officinalis L.
KINO s. *Gummi kino.* Materia concreta, fragilis, dubiae adhuc originis.
LAPIS CALAMINARIS.
Carbonas zincico-ferricus nativus.
LAVENDULA. Flores. Aetheroleum.
Lavandula spica L.
LAURUS. Baccae. Folia. Oleum baccarum.
Laurus nobilis L.
LEDUM s. *Rosmarinus sylvestris.* Summitates
Ledum palustre L.
LICHEN s. *Muscus islandicus.*
Cetraria islandica Acharii.
LIGNUM CAMPECHIANUM.
Haematoxylon campechianum L.
LINUM. Semina. Oleum.
Linum usitatissimum L.
LIQUIRITIA. Radix. Succus inspissatus.
Glycyrrhiza glabra et echinata L.
LITHARGYRIUM.
Oxidum plumbicum.
LUPULUS. Strobili.
Humulus lupulus L.
LYCOPODIUM. Farina s. pollen.
Lycopodium clavatum L.
MAGNESIA NIGRA.
Superoxidum manganicum nativum.

MALVA. Folia.
Malva rotundifolia L.

MANNA. Succus concretus.
Fraxinus ornus et rotundifolia L.

MASTIX. Resina.
Pistacia lentiscus L.

MEL ALBUM et FUSCUM.
Apis mellifica L.

MELILOTUS. Herba cum floribus.
Trifolium melilotus officinalis L.

MELISSA CITRINA. Herba.
Melissa officinalis L.

MENTHA CRISPA. Herba.
Mentha crispa L.

MENTHA PIPERITIS. Herba.
Mentha piperita L.

MEZEREUM. Cortex.
Daphne mezereum L.

MILLEFOLIUM. Summitates.
Achillea millefolium L.

MINIUM.
Superoxydum plumbosum.

MOSCHUS. Materia folliculo subumbilicali inclusa
Moschus moschiferus L.

MYRRHA. Gummi-resina.
Amyris Kataf Forskahl.

MYRTILLUS. Baccae.
Vaccinium myrtillus L.

NICOTIANA. Folia.
Nicotiana tabacum L.

NITRUM CRUDUM.
Nitras potassae impurus.

NUX MOSCHATA. Nucleus. Oleum nuclei expressum s. oleum nucistae. Involucrum nuclei s. macis. Aetheroleum macis.

Myristica moschata L.

NUX VOMICA. Semina.

Strychnos nux vomica L.

OLIVA. Oleum drupae.

Olea Europaea L.

OPIUM. Succus capsularum inspissatus.

Papaver somniferum L.

ORIGANUN CRETICUM. Flores spicati. Aetheroleum.

Origanum Creticum L.

OSTREA. Testae.

Ostrea edulis L.

OVUM GALLINACEUM.

Phasianus Gallus L.

OXYCOCCOS. Succus baccarum.

Vaccinium Oxycoccos L.

PADUS. Cortex ramulorum.

Prunus Padus L.

PAPAVER. Capsulae immaturae.

Papaver somniferum L.

PASSULAE MAJORES, s. *uvae passae.* Baccae siccatae.

Vitis vinifera L.

PETROLEUM, s. *Oleum petrae.*

Aetheroleum bituminosum.

PETROSELINUM. Semina.

Apium Petroselinum L.

PHELLANDRIUM AQUATICUM. Semina.
Phellandrium aquaticum L.
PHOSPHORUS.
PIMPINELLA. Radix.
Pimpinella saxifraga L.
PINUS. Turiones.
Pinus sylvestris.
PIPER ALBUM. Baccae maturae decorticatae,
NIGRUM. Baccae immaturae.
Piper nigrum L.
PIPER HISPANICUM, s. *Indicum.* Fructus.
Capsicum annuum L.
PIPER JAMAICENSE Baccae immaturae.
Myrtus Pimenta L.
PIX LIQUIDA. Resina cum aetheroleo empyreumatico juncta.
SOLIDA. Resina ab aetheroleo empyreumatico per coctionem separata.
Pinus sylvestris L.
PLUMBAGO.
Supercarboretum ferri.
PLUMBUM.
POMPHOLYX s. *Nihilum album.*
Oxidum zincicum album impurum.
POTASSA VULGARIS s. *Cineres clavellati.*
Carbonas superpotassicus impurus.
PSYLLIUM. Semina.
Plantago Psyllium L.
QUASSIA. Lignum.
Quassia excelsa Swartz.
QUERCUS. Cortex. Glandes.
Quercus Robur L.

RHEUM s. *Rhabarbarum sibericum.* Radix.
Rheum palmatum L.

RIBES NIGRUM. Baccae. Folia tenerrima. Ramuli.
Ribes nigrum L.

RICINUS. Semina. Oleum.
Ricinus communis L.

ROSA DAMASCENA. Petala.
Rosa centifolia L.

ROSA RUBRA. Petala.
Rosa Gallica L.

ROSMARINUS s. *Anthos.* Folia. Aetheroleum.
Rosmarinus officinalis L.

RUBUS IDAEUS. Baccae.
Rubus idaeus L.

SABADILLA. Semina.
Veratrum Sabadilla L.

SABINA. Ramuli tenerrimi foliosi.
Juniperus Sabina L.

SACCHARUM Album.
Saccharum Officinarum L.

SACCHARUM LACTIS.
Bos Taurus L.

SACCHARUM SATURNI s. *Sal Saturni.*
Acetas plumbicus.

SAL ACETOSELLAE.
Oxalas subpotassicus.

SAL AMMONIACUM.
Murias ammoniacae.

SAL ANGLICUM s. *Catharticum.*
Sulphas magnesiae.

SAL COMMUNE.
Murias sodae.
SAL GLAUBERI.
Sulphas sodae.
SALEB. Radix.
Orchis Morio et *mascula* L.
SALIX. Cortex.
Salix fragilis L.
SALVIA. Folia.
Salvia officinalis L.
SAMBUCUS. Flores. Rob s. succus baccarum inspissatus.
Sambucus nigra L.
SAPO HISPANICUS s. *Alicantinus.*
SAPO ROSSICUS.
SAPO VENETUS.
SAPONARIA. Radix.
Saponaria officinalis L.
SASSAPARILLA. Radix.
Smilax syphilitica Humboldt.
SASSAFRAS. Radix lignosa.
Laurus Sassafras L.
SCAMMONIUM ALEPPENSE. Gummi-resina.
Convolvulus Scammonia L.
SCILLA. Bulbi laminae siccatae.
Scilla maritima L.
SCORDIUM. Herba.
Teucrium Scordium L.
SENEGA. Radix.
Polygala Senega L.
SENNA. Folia.
Cassia Senna L.

SERPENTARIA VIRGINIANA. Radix.
Aristolochia Serpentaria L.
SEVUM BUBULUM.
Bos Taurus L.
SIMARUBA. Cortex radicis.
Quassia Simaruba L.
SINAPIS. Semina.
Sinapis nigra L.
SODA HISPANICA.
Carbonas supersodicus impurus.
SPATUM PONDEROSUM.
Sulphas Barytae.
SPERMA CETI s. *Cetaceum.* Pinguedo propriae indolis.
Physeter macrocephalus L.
SPIRITUS FRUMENTI.
Alcohol aquosus impurus grav. spec. 0,94.
SPIRITUS VINI GALLICUS.
Alcohol aquosus impurus grav. spec. 0,933.
SPONGIA.
Spongia officinalis L.
STANNUM.
STRAMONIUM. Folia.
Datura Stramonium L.
STYRAX CALAMITA. Resina.
Styrax officinalis L.
STYRAX s. *Ambra Liquida.* Balsamum.
Liquidambar Styraciflua L.
SUCCINUM.
SULPHUR CITRINUM SOLIDUM.
SULPHUR SUBLIMATUM PULVEREUM s. *Flores sulphuris.*

SYRUPUS COMMUNIS.
Saccharum Officinarum L.
TAMARINDUS. Fructus.
Tamarindus Indica L.
TANACETUM. Summitates.
Tanacetum vulgare L.
TARAXACUM. Radix.
Leontodon Taraxacum L.
TARTARUS CRUDUS.
Tartras subpotassicus impurus.
TARTARI CRYSTALLI s. *Cremor.*
Tartras subpotassicus depuratus.
TEREBINTHINA COMMUNIS. Balsamum. Aetheroleum s. oleum Terebinthinae.
Pinus sylvestris et *Abies* L.
TEREBINTHINA VENETA. Balsamum.
Pinus Larix L.
TORMENTILLA. Radix.
Tormentilla erecta L.
TRIFOLIUM AQUATICUM. Folia.
Menyanthes trifoliata L.
TUTIA s *Nihilum griseum.*
Oxidum zincicum impurum.
VALERIANA MINOR Radix.
Valeriana officinalis L.
VANILLA. Capsulae siliquaeformes.
Vanilla aromatica Swartz.
VINUM GALLICUM ALBUM et RUBRUM.
VINUM HISPANICUM.
VINUM RHENANUM.

VIOLA TRICOLOR. Herba cum floribus.
Viola tricolor L.

VITRIOLUM ALBUM s. *Zinci.*
Sulphas zincicus.

VITRIOLUM COERULEUM s. *Cupri.*
Sulphas cupricus.

VITRIOLUM VIRIDE s. *Martis.*
Sulphas ferrosus.

ULMUS. Cortex interior.
Ulmus campestris L.

UVA URSI. Folia.
Arbutus uva ursi L.

ZEDOARIA. Radix.
Curcuma Zerumbet et *Zedoaria* Roscoe.

ZINCUM.

ZINGIBER. Radix.
Zingiber officinale Roscoe.

PRAEPARATA PHARMACEUTICA.

ACETAS AMMONIACAE AQUOSUS.

Alkali Ammoniacum acetatum.

Rc. Carbonatis superammoniacici
Uncias tres.
Acidi acetici Uncias undecim
vel quantum satis sit ad plenam saturationem,
Aquae destillatae Uncias novem
seu quantum sufficiat, ut pondus totius sit Unciarum viginti et quatuor.

NB. Acetatis ammoniacae aquosi et aquae destillatae partes aequales *spiritum* olim dictum *Mindereri* efficiunt.

ACETAS PLUMBICUS CRYSTALLINUS.

Saccharum Saturni purificatum.

Sal Saturni depuratum.

Rc. Sacchari Saturni Partem unam,
Aquae destillatae ferventis Partes quatuor,
Aceti destillati Partem unam

seu quantum sufficiat solutioni. Liquidum fervens per chartam cola, et loco temperato sepone, ut crystallos demittat. Liquor decantatus evaporatione ad dimidium consumatur, ut sub refrigeratione novas porrigat crystallos. Crystalli omnes collectae in charta bibula siccentur, tandemque in vitro clauso serventur.

ACETAS POTASSAE.

Alkali vegetabile acetatum.

Terra foliata tartari.

Rc. Carbonatis superpotassici depurati quantum placeat.

In vase vitreo capaci admisce

Aceti destillati quantum sufficiat ad potassam saturandam.

Liquor super igne evaporet; intereaque per vices addatur acetum destillatum, ne desit saturatio. Ad dimidium exhalando consumtus per chartam coletur et tandem balnei vaporis calore ad siccitatem redigatur. Servetur in lagena clausa.

ACETAS POTASSAE AQUOSUS.

Mixtura salina (pauperum).

Rc. Carbonatis superpotassici Drachmas novem,

Aceti sicerae quantum saturationi sufficiat,

Aquae fontanae, quantum satis sit, ut totius mixti pondus fiat Libra una et dimidia.

Misce et per chartam cola.

ACETAS SUPERPLUMBICUS AQUOSUS.

Acetum lithargyrii.

Acetum saturni.

Rc. Lithargyrii triti Partem unam,
Aceti sicerae Partes sex.

Mixtum in calore ebullitionis subinde agita, donec chartae lacmusinae color caeruleus ab aceto non mutetur. Liquor, post subsidentiam pulveris non soluti, limpidus evaporet, ut pondus specificum 1,14 obtineat.

ACETUM AROMATICUM.

Acetum prophylacticum.

Rc. Absinthii summitatum,
Millefolii summitatum,
Menthae Piperitidis herbae,
Lavendulae florum,
Caryophyllorum,
Zingiberis radicis, singulorum Drachmas quatuor,
Aceti vini gallici, ad ebullitionem calefacti, Libras septem cum dimidia,
Acidi acetici Libram dimidiam.

Macerentur per quatuor dies. Humor deinde expressus lactis recentis ope clarificetur et per chartam coletur. Tandem addantur
Spiritus rosmarini Unciae quatuor.

ACETUM DESTILLATUM.

Rc. Aceti sicerae Partes octo,

Carbonis lignei praeparati Partem unam. Destillent in vase aeneo, cui adaptatum sit capitellum stanneum cum tubulo refrigeratorio stanneo. Postquam emanaverit quarta circiter liquidi pars aquosa, applicetur vas recipiens, et continuetur destillatio, quamdiu limpidus sine empyreumate prodeat liquor, qui servetur.

ACETUM SCILLAE.

Rc. Scillae bulbi concisi Partem unam,
Aceti vini gallici, antea ad ebullitionem calefacti, Partes undecim.
Acidi acetici Partem unam.

Macerentur per octiduum. Deinde exprimatur humor, defaecetur et coletur.

ACIDUM ACETICUM.

Rc. Carbonatis superpotassici puri Uncias sedecim,
Aceti destillati quantitatem saturationi sufficientem.

Liquor evaporando diminuatur, ut remaneant Unciae quadraginta. His admisce
Acidi vitrioli Libram unam cum
Aquae Libra dilutam.

Fiat, e retorta vitrea, destillatio ad siccitatem, cave vero, ne ex igne ad finem nimis aucto acidum oriatur empyreumaticum.

ACIDUM CITRICUM.

Rc. Citri succi, e muco per quietem deposito purgati, quantum placeat.

Calefacto, in vase stanneo aut vitreo capaci, ut tantum non ebulliat, injice parvas portiones

Carbonatis calcis praeparati, accurate ponderati, (quo ex pondere pulveris residui innotescat, quantum ejus consumtum fuerit), donec omnis effervescentia cesset. Citratem calcis in fundo vasis considentem, defuso liquore claro, aqua calida saepius ablue, donec haec insipida evadat. Pulveri adhuc humido adde

Acidi vitrioli Pondus aequale carbonati adsumto, cum

Aquae destillatae decuplo dilutum.

Digerentur per nycthemeron. Tum liquor acidus coletur, et modico igne ad remanentiam quartae partis evaporet. Hic deinde, ex sulphate calcis iterum turbidus, coletur, et in loco frigido seponatur, ut, sub lentissima evaporatione, crystalli acidae concrescant. Depurentur crystalli per repetitam solutionem in aqua fervida, ex qua per evaporationem secernantur. Deinde in usum serventur.

Obs. Crystalli purae siccitatem in aëre servant: ex acido sulphurico inquinatae, madescunt.

ACIDUM MURIATICUM.

Acidum salis communis.

Rc. Acidi vitrioli Libram unam,

Aquae Libram dimidiam,

caute in retorta vitrea commixtis adde

Salis communis pulverati Libram unam

et dimidiam; mox applicetur excipulum convenienter tubulatum, in quod prius immissa fuit

Aquae destillatae Libra una.

Modico igne fiat destillatio, qua obtinebitur acidum ponderis specifici 1,15.

ACIDUM NITRICUM DILUTUM.

Rc. Nitratis potassae depurati Partes duas,

Aquae destillatae ferventis Partes quatuor.

Fiat vi ignis solutio in vase vitreo, et instilletur

Nitras argenticus solutus, quamdiu praecipitati quid prodeat. Liquor supernatans limpidus, etiamnum fervens immittatur in retortam vitream, per infundibulum cauda elongata instructum. Admisceatur

Acidi vitrioli Pars una.

Adaptato excipulo capaci tubulato fiat destillatio.

ACIDUM NITROSO-NITRICUM.

Acidum nitri fumans.

Rc. Nitratis potassae depurati Partes duas,

Acidi vitrioli Partem unam.

Nitratem siccatum immitte in retortam vitream amplam. Sensim deinde et caute sub camino affunde acidum vitrioli, ut noxii evitentur vapores. Mox applicetur excipulum amplum tubulatum, et igne gradatim aucto fiat destillatio. Acidum ita obtentum servetur in vase vitreo, epistomio vitreo clauso, idque loco frigido et umbroso. Pondus ejus specificum erit 1,5.

ACIDUM PHOSPHORICUM AQUOSUM.

Rc. Acidi nitrici diluti Partes duodecim, cui in cucurbita vitrea, super igne, leniter ebullienti sensim immitte ex

Phosphoro in fragmenta unius circiter grani conciso Partem unam, sive

quantum absumere valeat liquor, qui dein ad crassitudinem syrupi evaporet. Hunc

Aqua destillata dilue, ut quantitatem phosphori consumti decies superet.

ACIDUM SUCCINICUM.

Sal succini.

Rc. Succini contusi quantum placeat.

Immittatur in retortam vitream, cui adaptetur vas recipiens tubulatum. Igne primum lento, deinde paulatim aucto destillet liquor acidus, et oleum empyreumaticum mox flavum, tum rubrum, simulac in collo retortae concrescant crystalli. Hae ab aqua acida excipuli solutae et per chartam aqua destillata humectatam colatae, lenta evaporatione ad siccitatem redigantur, tandemque depurentur per sublimationem lenissimo igne in cucurbita vitrea peragendam.

ACIDUM SULPHURICUM DEPURATUM.

Rc. Acidi vitrioli Uncias sex,

quas in retortam vitream immissas calore ignis sensim crescente torque, donec striae cohaerentes ad latera colli retortae conspiciantur. Tum adap-

tato excipulo caute augeatur ignis, ut purum acidum destillet. Hoc in vase vitreo per epistomium vitreum claudendo servetur.

ACIDUM SULPHURICUM DILUTUM.

Acidum vitrioli tenue.

Rc. Acidi sulphurici depurati Partem unam,
Aquae destillatae Partes octo.

Acidum in aquam instilla et commisce.

ACIDUM TARTARICUM.

Sal essentiale tartari.

Rc. Carbonatis calcis praeparati Libras duas,
Aquae ferventis Libras viginti et quatuor.

Sub ebullitione in lebete, stanno intus obducto, sensim adde

Tartari crystallorum pulveratarum Libras septem et dimidiam, sive donec

cessaverit effervescentia. Vas ab igne remotum sepone per horam. Deinde liquorem super tartratis calcis pulvere natantem caute defunde. Pulverem aqua calida saepius ablue. Eidem in vas vitreum indito admisce

Acidi vitrioli Libras duas,
Aquae decupla quantitate dilutas.

Mixtum digere per horas viginti quatuor, interque spatula lignea saepius agita. E pulvere deinde subsiduo defunde liquorem acidum limpidum, pulveremque aqua ablue quamdiu haec

gustatu fiat acida. Commisceantur omnes liquores acidi et evaporatione coarctentur ad tertiam voluminis sui partem. Refrigerati deinde colentur et leni calore evaporent. Cuticulae crystallinae in superficie subortae saepius rumpantur, ut tandem nonnisi siccae remaneant crystalli.

Obs. Explorandum est, utrum ab inquinamento acidi sulphurici immunes sint crystalli. Itaque solvatur harum portiuncula in aqua, et addantur nonnullae guttae acetatis superplumbici liquidi, ex quibus mox album subsidet praecipitatum, ab instillato acido nitrico diluto facile solvendum, si purum erat acidum tartaricum, lacteam vero etiamnum efficiens mixturam, si adsit acidum sulphuricum. Ad hoc vitium amovendum, solvantur crystalli in aqua destillata, admisceatur solutioni pauxillum tartratis calcis, aut, nisi hic praesto sit, carbonatis calcis: digeratur mixtum, coletur et ad crystallos iterum redigatur.

AETHER ACETICUS.

Rc. Sacchari Saturni siccati Partes quadraginta,
Alcoholis Partes viginti,
Acidi vitrioli Partes quindecim.

Saccharo saturni pulverato, in cucurbita vitrea admisceatur alcohol cum acido mixtus. Adaptato capitello et excipulo scite adjuncto fiat destillatio leni calore donec fere omnis secretus sit humor. Liquor in excipulo collectus misceatur cum

Aquae Partibus sex, et

Potassae causticae aquosae Partibus duabus.

Supernatans aether separatus lenissimo igne e retorta rectificetur.

AETHER AMMONICATUS.

Rc. Muriatis ammoniacae depurati,

Aquae destillatae, singulorum Uncias duas.

In retorta mixtis adde

Calcis vivae Uncias duas, aqua antea exstinctas,

Aetheris sulphurici Uncias duas.

Adaptetur vas recipiens amplum, quod aqua frigida circumdetur. Destillando eliciatur aether; qui servetur in lagena vitrea epistomio vitreo exacte obturanda.

AETHER FERRATUS.

Aether martialis.

Rc. Muriatis ferrici Unciam unam,

Aquae destillatae Unciam dimidiam.

Mixta agitentur cum

Aetheris sulphurici Unciis tribus.

Post quidem viginti quatuor horarum transfundetur solutio limpida in aliud vas bene obturandum et loco obscuro servandum.

AETHER SULPHURICUS.

Aether vitriolatus.

Rc. Alcoholis,

Acidi vitrioli Partes aequales.

Alcoholem in cucurbitam vitream vel retortam tubulatam immitte. Eidem per infundibulum tubulo subtili terminatum caute admisce acidum vitrioli, vas interea agitando. Deinde balneo arenae prius calefacto imponatur vas excipulo amplo munitum. Augeatur ignis ut liquor protinus ebulliat: mox vero minuatur ne vehementior sit ebullitio. Excipulum aqua frigida vel nive circumdetur, et finiatur destillatio, quando, loco striarum aetherearum, in collo vasis observantur guttae oleosae parum inter se cohaerentes. Aether destillatus cum quarta parte aquae et parte duodecima potassae causticae solutae mixtis conquassetur, quo ab inhaerentibus acido et alcohole depuretur, tandemque lenissimo igne rectificetur. Servetur in lagenis minoribus, quarum orificia epistomiis vitreis et cera circumfusa obturentur.

Massa acida, post destillationem residua, cum dimidia parte Alcoholis mixta, nova destillatione adhuc producit aetherem, qui eodem modo pluries elici potest.

AETHEROLEUM ABSINTHII.

Rc. Absinthii summitatum quantum placeat,

Aquae fontanae, quantum satis sit, ut herba innatet. Modico igne destillent aqua et aetheroleum, quod separatum servetur.

Eodem modo eliciuntur

AETHEROLEUM ANISI,

ex Anisi seminibus;

AETHEROLEUM CARVI,

e Carvi seminibus;

AETHEROLEUM CARYOPHYLLI,

e Caryophyllis, antea per aliquot dies in aqua maceratis, deindeque, in vase humili, destillationi subjectis;

AETHEROLEUM CINNAMOMI,

e Cinnamomi ceylanici cortice, antea per aliquot dies in aqua macerato;

AETHEROLEUM FOENICULI,

e Foeniculi seminibus;

AETHEROLEUM JUNIPERI,

e Juniperi baccis;

AETHEROLEUM MENTHAE PIPERITIDIS,

e Menthae piperitidis herba;

AETHEROLEUM TANACETI,

e Tanaceti summitatibus.

AETHEROLEUM TEREBINTHINAE RECTIFICATUM.

Rc. Terebinthinae communis aetherolei
Partem unam,
Aquae fontanae Partes duas.

Fiat destillatio, quamdiu prodeat aetheroleum.

ALCOHOL.

Spiritus vini rectificatissimus.

Rc. Spiritus frumenti Partes duodecim,
Carbonis lignei praeparati Partem unam

E vesica, per alembicum stanneum destillent partes sex. Ex his, nova destillatione eliciantur partes duae. Pondus specificum 0,83.

ALCOHOL ABSOLUTUS.

Rc. Alcoholis Partes tres,
Muriatis calcis igne siccati et pulverati Partem unam.

Per destillationem e retorta vitrea, leni calore elice Partes duas. Pondus specificum 0,79.

ALCOHOL AETHEREUS FERRATUS.

Tinctura Bestuscheffi.

Rc. Aetheris ferrati Partem unam,
Alcoholis Partes duas.

Misceantur.

ALCOHOL AMMONIACATUS.

Alkali ammoniacum spirituosum.

Rc. Ammoniacae causticae aquosae Partem unam,
Alcoholis Partes tres.

Commisceantur.

ALCOHOL AQUOSUS.

Spiritus vini rectificatus.

Rc. Spiritus frumenti Partes duodecim,
Carbonis lignei praeparati Partem unam.

Destillatione e vesica per alembicum stanneum educantur Partes sex.

ALCOHOL CAMPHORATUS.

Spiritus vini camphoratus.

Rc. Alcoholis aquosi rectificati Uncias sedecim,
Camphorae Unciam unam.

Misceantur, ut fiat solutio.

ALCOHOL FERRATUS.

Tinctura martis.

Rc. Muriatis ferrici Partem unam,
Alcoholis Partes sex.

Misceantur, ut fiat solutio.

ALCOHOL MURIATICO-AETHEREUS.

Spiritus salis dulcis.

Rc. Salis communis Uncias sedecim,
Magnesiae nigrae Uncias sex.

In retorta vitrea mixtis adde
Acidi vitrioli Uncias duodecim, cum
Alcoholis Unciis quadraginta et octo prius conjunctas. Destillando eliciantur Unciae triginta et sex.

ALCOHOL NITRICO-AETHEREUS.

Spiritus aethereus nitratus.

Rc. Alcoholis Libras duas.
In retorta vitrea capaci paullatim adde
Acidi nitroso-nitrici Libram dimidiam.
Per destillationem balnei vaporis calore eliciatur Libra una et dimidia, quae iterata destillatione, super
Calcis ustae Uncia una, depuretur.

ALCOHOL SULPHURICO-AETHEREUS.

Liquor anodynus mineralis Hoffmanni.

Spiritus aethereus vitriolatus.

Rc. Aetheris sulphurici Partem unam,
Alcoholis Partes duas.
Misce.

ALUMEN USTUM.

Alumen in patina ferrea comburatur, donec spongiosum fiat.

AMMONIACA CAUSTICA AQUOSA.

Alkali ammoniacum causticum.

Rc. Calcis ustae Libram unam,
cui in vase ferreo admisce
Aquae Libram dimidiam.
Refrigeratum pulverem immitte in retortam vitream capacem, atque adjice
Muriatis ammoniacae depurati pulverati Libram unam,

Aquae Libras duas.

Mox applicetur excipulum grande,

Aquae destillatae Libram unam continens.

Modico igne fiat destillatio. Pondus specificum liquoris in excipulo collecti erit 0,94.

AQUA ACETATIS SUPERPLUMBICI.

Aqua saturnina.

Rc. Aquae pluvialis Libras duas,

Spiritus frumenti Uncias duas,

Acetatis superplumbici Unciam dimidiam.

Commisceantur.

AQUA ACIDI CARBONICI.

Aqua aërata.

Aqua destillata et ad temperaturam glaciei refrigerata quassando saturetur cum gase acidi carbonici, quod, idoneo apparatu e pulvere spathi calcarei puri, vi acidi sulphurici diluti elicitum, ad aquam intromittitur. Servetur in lagenis vitreis, quarum orificia subere optime obturata deorsum versus teneantur.

AQUA AURANTII.

Aqua naphae.

Rc. Aurantii florum salitorum Libras tres,

Aquae, quantum satis sit ad evitandum empyreuma. Destillatio eliciantur Librae sex.

AQUA CALCIS.

Rc. Calcis ustae Libram dimidiam,
cui sensim affunde
Aquae Libras octo.

Ebullitione, quae inde oritur, peracta et calce in pulverem divisa, agitetur mixtum et, ne accedat aër, claudatur. Subsidente pulvere non soluto, liquor limpidus transfundatur in lagenas, quae rite occlusae serventur.

AQUA CARBONATIS POTASSAE ACIDULA.

Aqua aërata alkalina.

Rc. Aquae destillatae Cantharum,
Carbonatis superpotassici Drachmas tres.

Facta solutione saturetur aqua acidi carbonici et servetur, ut de aqua acidi carbonici praescriptum est.

AQUA CARBONATIS SODAE ACIDULA.

Rc. Aquae destillatae Cantharum,
Carbonatis supersodici, fatiscendo in pulverem redacti, Drachmas tres.

Solutio saturetur acido carbonico et servetur ut praecedens.

AQUA CERASI.

Rc. Cerasi druparum siccatarum, cum nucleis, contusarum Libras viginti,
Aquae, quantum satis sit ad evitandum empyreuma. Destillando eliciantur Librae triginta.

AQUA CINNAMOMI ALCOHOLICA.

Rc. Cinnamomi ceylanici corticis contusi Libram unam,

Spiritus vini gallici Libras duas,

Aquae, quantum satis sit ad evitandum empyreuma. Destillando eliciantur Librae sex.

AQUA DESTILLATA.

Rc. Aquae fontanae Partes quinquaginta,

Carbonis lignei praeparati Partem unam.

Destillando lente eliciantur Partes quadraginta et quinque.

AQUA FOENICULI.

Rc. Foeniculi seminum Libram dimidiam

Aquae fontanae quantum satis sit, ut, sine periculo empyreumatis, destillando elici possint Librae sex.

AQUA HYDROSULPHURICA ACIDULA.

Liquor probatorius Hahnemanni.

Rc. Sulphureti calcis,

Acidi tartarici, utriusque Drachmas duas,

Aquae destillatae Uncias sedecim.

Mixta agitentur in vase vitreo. Cum deinde subsederit tartras calcis, defundatur liquor limpidus in aliud vas, et addatur

Acidi tartarici Uncia dimidia.

Servetur in lagenulis probe obturatis.

AQUA MENTHAE CRISPAE.

Rc. Menthae crispae herbae Libras quatuor,
Aquae, quantum satis sit, ut evitetur empyreuma. Destillando eliciantur Librae sex.

Eodem modo paratur

AQUA MENTHAE PIPERITIDIS.

e Menthae piperitidis herba.

AQUA MURIATIS HYDRARGYRICI CORROSIVI.

Mixtura mercurialis.

Rc. Muriatis hydrargyrici corrosivi,
Salis ammoniaci, utriusque grana sex.
Terantur in mortario vitreo cum
Aquae destillatae ferventis Uncia una.
Deinde addantur
Aquae destillatae Unciae novem,
Syrupi sacchari Unciae duae.

AQUA OXYMURIATICA.

Acidum muriaticum oxygenatum.

Rc. Salis communis Partes quatuor,
Magnesiae nigrae pulveratae Partem unam et dimidiam,
Acidi vitrioli Partes tres,
Aquae Partes quatuor.
Misceantur caute in retorta vitrea, et leni calore extricetur gas, quod idoneo apparatu, ab
Aqua destillata in appositis lagenis ad

saturationem absorbeatur. Lagenae deinde epistomiis vitreis optime obturentur.

AQUA PETROSELINI.

Rc. Petroselini seminum Libram dimidiam,
Aquae fontanae, quantum satis sit, ut destillando eliciantur Librae sex.

AQUA ROSAE.

Rc. Rosae damascenae petalorum Libras tres,
Aquae, quantum satis sit, ut evitetur empyreuma. Destillando eliciantur Librae sex.

AQUA SULPHATIS MAGNESIAE CUM ACIDO CARBONICO.

Aqua amara.

Rc. Salis anglici Libram unam,
Aquae fontanae Cantharum dimidium.
Fiat solutio: cui colatae admisce
Aquae acidi carbonici Cantharum dimidium.
Serva in lagenis vitreis, Libram circiter capientibus, bene obturatis.

ARGENTUM PURUM.

Rc. Argenti quantum placeat.
Solve in
Acidi nitrici quantitate sufficiente.
Liquori paullatim adde

Sal commune in aqua solutum, ut dejiciatur murias argenticus. Hic collectus et siccatus minutim injiciatur in crucibulum argillaceum, in quo liquefactum et ad albedinem ignitum est duplum pondus

Potassae vulgaris.

Ignis augeatur ad plenam argenti liquefactionem.

ARSENIS POTASSAE AQUOSA.

Rc. Arsenici albi,

Carbonatis superpotassici, utriusque Grana sexaginta et quatuor,

Aquae destillatae Uncias sedecim.

Per coctionem in vase vitreo fiat solutio, cui colatae reddatur aqua sub coctione evaporata, ut habeatur liquor pondere sedecim unciarum.

AXUNGIA CURATA.

Axungia porci, membranulis, vasis et fibrillis exemtis, lavetur aqua, leni igne liquetur et post exhalationem humoris per linteum coletur.

AXUNGIA OXYGENATA.

Unguentum oxygenatum Alyoni.

Rc. Axungiae curatae Partes octo.

In vase fictili, ad modicum ignem liquatis adde

Acidi nitrici diluti Partem unam.

Evaporato, sub continua agitatione, humore, admisceantur

Aquae ferventis Partes octo,

quibus abluta exungia tandem balnei vaporis calore siccetur.

BOLUS PRAEPARATUS.

Bolum armenia cum copiosa aqua in mortario contere. Post tantillam quietem transfunde aquam ex pulvere tenuissimo turbidam in aliud vas Crassiorem pulverem residuum cum nova aqua tritum eodem modo tracta. Pulvis subtilissimus e liquoribus turbidis subsidens siccetur et servetur.

CALAMINA PRAEPARATA.

Lapis calaminaris praeparatus.

Fit e lapide calaminari eodem modo ac bolus praeparatus.

CALX PURA.

Fragmenta e testis ostrearum per aquam abluta, igne valido per horae spatium ad albedinem urantur. Servetur in vasis bene obturatis.

CARBO LIGNEUS PRAEPARATUS.

Carbones ligni cujusdam in crucibulo operto, per horae dimidium ad plenam ignitionem urantur. Refrigerentur in crucibulo adhuc tecto: deinde redigantur in pulverem, qui in vasis perclusis servetur.

CARBONAS CALCIS PRAEPARATUS.

Creta praeparata.

Creta alba, vel testae ostrearum in pulverem subtilissimum redigantur, ut de bolo praeparato praescriptum est.

CARBONAS MAGNESIAE.

Magnesia alba.

Rc. Salis anglici Partem unam et dimidiam, quam solve in

Aquae calidae Partibus duodecim.

Solutioni per chartam colatae et super ignem ebullienti admisceatur

Carbonatis superpotassici puri Pars una, in

Aquae fervidae Partibus sex soluta et colata.

Liquor mixtus ebulliat per horae dimidium et adhuc fervidus per linteum coletur. Carbonas magnesiae in filtro collectus, affusa aqua fervida eluatur, tandemque loco calido servetur.

CARBONAS POTASSAE.

Carbonas superpotassicus purus, in idoneo apparatu, gase acidi carbonici perfecte saturetur, ut omnem acritudinem saporis amittat.

CARBONAS SODAE.

Rc. Carbonatis supersodici crystallini Partem unam,

Ejusdem fatiscendo in pulverem redacti Partes tres.

Trituratione intime commisceantur et, in apparatu idoneo, acido carbonico perfecte saturentur. His admisceantur

Aquae destillatae frigidae Partes tres,

quae post duodecim horas defundantur. Carbonas deinde super charta bibula siccetur.

Obs. Carbonas sodae rite paratus sub siccatione in pulverem non fatiscet. Quod si fieret, nova aqua frigida iterum abluatur necesse est.

CARBONAS SUPERAMMONIACICUS.

Alkali ammoniacum.

Rc. Salis ammoniaci Partem unam,
Cretae albae Partem unam et dimidiam.

Terantur in pulverem tenerrimum, siccentur et intime commisceantur. Deinde e retorta vitrea, vel potius ferrea, cui adaptatum est excipulum capax vitreum, igne sensim aucto, fiat sublimatio.

CARBONAS SUPERAMMONIACICUS AQUOSUS.

Alkali ammoniacum aquosum.

Rc. Salis ammoniaci Libram dimidiam,
Potassae vulgaris Uncias novem.

Separatim pulveratis et in retorta vitrea mixtis adjiciatur
Aquae Libra una.

Modico igne fiat destillatio, ad siccitatem residui.

CARBONAS SUPERAMMONIACICUS PYR-OLEOSUS.

Sal cornu cervi.

Rc. Cornu cervi rasi (vel ossium purgatorum rasorum) quantum placeat.

Immitte in retortam ferream tubulatam, cui adaptatum est vas recipiens amplum tubulatum. Fiat destillatio igne sensim ad incandescentiam fere aucto. Prodibunt liquor alkalinus, pyroleum et sal volatile. Hoc cum carbonis lignei pulverati quarta parte commixtum immittatur in cucurbitam vitream alembico munitam, ibidemque denuo sublimetur.

CARBONAS SUPERAMMONIACICUS PYROLEOSO-AQUOSUS.

Liquor cornu cervi alkalinus.

Liquor alkalinus sub destillatione cornu cervi rasi prodiens coletur per chartam bibulam humidam, ut ipsi adhaerentia sal et oleum separentur.

CARBONAS SUPERPOTASSICUS AQUOSUS.

Lixivium tartari.

Rc. Carbonatis superpotassici Partem unam,
Aquae destillatae Partes duas.

Solutio in vase vitreo facta per chartam coletur.

CARBONAS SUPERPOTASSICUS DEPURATUS.

Alkali lignorum depuratum.

Rc. Potassae vulgaris in vase ferreo ignitae Partem unam
Aquae frigidae Partem unam et dimidiam.

Mixta per triduum macerentur, loco frigido, interea saepius agitata. Subsidentibus deinde par-

tibus non solutis, decantetur liquor limpidus, qui in vase ferreo ad siccitatem evaporet.

CARBONAS SUPERPOTASSICUS PURUS.

Alkali tartari.

Tartari crystalli in vase ferreo urantur donec albescant. Residua massa alkalina in aqua solvatur, coletur et in olla ferrea ad siccitatem evaporet.

CARBONAS SUPERSODICUS CRYSTALLINUS.

Alkali minerale fixum.

Rc. Sodae hispanicae contritae, quantum placeat,

Aquae fervidae, quantum satis sit ad solutionem. Lixivium per linteum colatum nonnihil evaporet. Deinde loco frigido seponatur, ut crystallos demittat.

CERATUM CETACEI ALBUM.

Unguentum album.

Rc. Olivarum olei Libram dimidiam,
Spermatis ceti Uncias tres,
Cerae albae Uncias duas et dimidiam.

Mixta liquescant et spathula lignea assidue agitentur, donec refrixerint.

CERATUM CETACEI RUBRUM.

Ceratum labiale.

Ceratum cetacei album tingatur alcannae radice.

CEREOLI.

Rc. Cerae flavae Uncias sex,

Olivarum olei Unciam unam.

Misceantur et liquescant leni calore, ut evaporet humidum. Deinde ex massa ab igne remota, per telas tenus immersas, fiant lege artis cerei laevigati forma et diametro variantes.

CITRAS POTASSAE AQUOSUS.

Mixtura salina.

Rc. Carbonatis superpotassici aquosi Drachmas novem,

quibus instilla

Succi citri Libram dimidiam, vel quantum satis sit ad plenam saturationem.

Liquor deinde coletur, eique addatur.

Aquae, quantum opus sit, ut Libram efficiat mixtura.

Huic tandem admisce

Syrupi sacchari Unciam unam.

CONSERVA COCHLEARIAE.

Cochleariae herbae recenti minutim sectae et contusae admisceatur Sacchari albissimi par pondus.

Similiter parantur ex aliis herbis conservae.

DECOCTUM GUAIACI COMPOSITUM.

Decoctum lignorum.

Rc. Guaiaci ligni rasi Uncias tres,

Juniperi ligni rasi Uncias duas,

Chinae radicis concisae Unciam unam,
Aquae fontanae Libras duodecim.

Coque donec evaporaverit dimidium. Deinde adde

Liquiritiae radicis concisae Unciam dimidiam.

Tandem cola.

DECOCTUM KINKINAE.

Rc. Kinkinae corticis recens contusi Unciam unam,
Aquae fontanae Uncias sedecim.

Coquantur in vase operto, usquequo remaneat Libra una, quae adhuc calida per linteum coletur.

ELAEOSACCHARUM CINNAMOMI.

Rc. Sacchari albissimi Unciam unam,
Aetherolei cinnamomi Guttas sedecim.

Terendo commisceantur. Deinde in vase vitreo bene clauso serventur.

Similiter parantur elaeosacchara ex aliis aetheroleis.

ELECTUARIUM MANNAE.

Rc. Mannae,
Sacchari albissimi,
Aquae foeniculi, singulorum Uncias duas.

Mixta et soluta per linteum exprime. Deinde admisce

Iridis florentinae radicis subtiliter pulveratae Drachmam unam,
Amygdalarum olei recentis Unciam unam.

ELECTUARIUM SENNAE.

Rc. Sennae foliorum pulveratorum Uncias quatuor,
Tamarindi pulpae Libram unam,
Coriandri seminum pulveratorum Unciam dimidiam,
Syrupi sacchari Uncias octo.
Misceantur.

EMPLASTRUM ADHAESIVUM.

Rc. Olivarum olei Libras duas,
Lithargyrii triti Libram unam,
Cerussae Uncias quatuor.
Coque modico igne, sub continua agitatione, et subinde instilla aquam ferventem. Cum obtineatur emplastri spissitudo, immisce
Cerae flavae Uncias octo,
Terebinthinae communis Uncias duas.

EMPLASTUM AMMONIACO-GALBANICUM.

Emplastrum gummosum.

Rc. Emplastri oxidi plumbici Libram dimidiam,
Cerae flavae Unciam unam.
Liquefactis et ab igne remotis insperge et commisce
Gummi ammoniaci pulverati,
Galbani pulverati, utriusque Unciam unam.

EMPLASTRUM ASAE FOETIDAE COMPOSITUM.

Emplastrum foetidum.

Rc. Cerae flavae Uncias quatuor,
Olivarum olei Unciam unam,
Colophonii Unciam dimidiam.
Una liquefactis et ab igne remotis admisce
Asae foetidae pulveratae,
Galbani pulverati, utriusque Uncias duas.

EMPLASTRUM CANTHARIDUM.

Rc. Cerae flavae Uncias decem,
Terebinthinae communis,
Olivarum olei, utriusque Uncias tres.
Liquefactis, sub agitatione continua, admisce
Cantharidum contritarum Uncias sex.
Post lenem, per horulam, digestionem ab igne removeatur vas, et agitetur emplastrum usque ad refrigerationem.

EMPLASTRUM CERAE TEREBINTHINATUM.

Emplastrum citrinum.

Rc. Cerae flavae Libram unam,
Colophonii Libram dimidiam,
Sevi curati Uncias quatuor,
Olivarum olei,
Terebinthinae communis, utriusque Uncias duas,
Curcumae radicis pulveratae Drachmas duas.

Una liquentur, colentur et in capsulis chartaceis refrigerentur.

EMPLASTRUM DIGITALIS.

Rc. Cerae flavae Libram unam,
Colophonii
Olivarum olei, utriusque Libram dimidiam.

Colliquatis et nonnihil refrigeratis admisce
Digitalis foliorum pulveratorum Libram unam.

EMPLASTRUM HYDRARGYRI.

Emplastrum mercuriale.

Rc. Hydrargyri Unciam unam,
Terebinthinae venetae Drachmas duas:

Terantur in mortario ferreo vel vitreo, donec intime mixta sint. Tum addantur
Emplastri oxidi plumbici Unciis duabus,
Cerae flavae Unciae dimidiae,
antea liquatis et commixtis.

EMPLASTRUM MELILOTI.

Paratur ex Meliloti herba siccata, ut emplastrum digitalis.

EMPLASTRUM OXIDI PLUMBICI,

Emplastrum commune.

Rc. Olivarum olei Libras sex,
Lithargyrii Libras octo.

Modico igne coque, intereaque continue agita, et aquam ferventem subinde et caute instilla, donec fiat emplastrum.

EMPLASTRUM PICIS.

Rc. Colophonii Libras duas,
Picis solidae Uncias sedecim,
Cerae flavae Uncias octo,
Terebinthinae communis Uncias quatuor.

Mixta et leni igne liquata colentur, et in capsulis chartaceis oleo unctis refrigerentur.

EMPLASTRUM VIRIDE.

Rc. Emplastri cerae terebinthinati Libras duas,
cui liquefacto admisce
Aeruginis tritae Drachmas sex.

EMPLASTRUM ZINCICO PLUMBOSUM.

Emplastrum diapompholigos.

Rc. Cerae flavae Libram unam,
Olivarum olei Libram dimidiam.
Colliquatis subige
Oxidi plumbosi Libram dimidiam,
Cerussae tritae Uncias quatuor,
Pompholigos Uncias tres,
Olibani pulverati Unciam unam et dimidiam.

EMULSIO AMYGDALARUM.

Emulsio communis.

Rc. Amygdalarum dulcium excorticatarum Unciam unam et dimidiam.

In mortario contunde, et insimul sensim adde

Aquae fontanae quantum satis sit, ut fiat colaturae Libra una. Huic adde

Sacchari albissimi Drachmas tres.

EMULSIO GUAJACI.

Rc. Guajaci resinae Unciam dimidiam,

Gummi arabici Drachmas duas,

Optime contritis sensim adde

Aquae menthae piperitidis Uncias novem,

Sacchari albissimi Unciam unam et dimidiam.

EMULSIO AMMONIACI.

Lac ammoniacum.

Rc. Gummi ammoniaci Unciam dimidiam,

Aquae menthae piperitidis Uncias octo.

Terantur in mortario vitreo, donec gummi ammoniacum perfecte dilutum sit.

EMULSIO GUMMOSA.

Rc. Gummi arabici Unciam dimidiam, cui in

Aquae ferventis quantitate sufficiente solutae adde

Emulsionis amygdalarum Libram unam.

EXTRACTUM ABSINTHII.

Rc. Absinthii summitatum concisarum quantum placeat,

Aquae fontanae sextuplum pondus.

Vasi stanneo ingestae summitates perfundantur aqua fervida et coquantur per horae quadrantem. Deinde exprimetur liquor. Residuum coquetur cum nova aqua, quae itidem exprimendo coletur. Liquores mixti balnei vaporis calore exhalent ad justam crassitiem.

EXTRACTUM ACONITI.

Rc. Aconiti folia recentia,

quae concisa, aqua irrorentur et in mortario lapideo contundantur. Succus inde expressus evaporet balnei vaporis calore, donec mellis crassitudinem acquirat. Tum admisceatur

Aconiti foliorum in pulverem subtilem tritorum Pars quarta.

EXTRACTUM CARDUI BENEDICTI.

Paratur e Cardui benedicti herba similiter ac extractum absinthii.

Eodem modo parantur:

EXTRACTUM CASCARILLAE,

e Cascarillae cortice;

EXTRACTUM CHAMOMILLAE,

e Chamomillae floribus.

EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS.

Rc. Colcynthidis fructus e seminibus purgati Uncias duas,
Aquae fontanae Libras duas.

Decoquantur modico igne ad evaporationem dimidii. Liquor deinde colatus, balnei vaporis calore exhalet ad crassitudinem mellis.

EXTRACTUM CONII.

Paratur e Conii herba, ut extractum aconiti.

EXTRACTUM GENTIANAE.

Paratur e Gentianae radice, ut extractum absinthii.

EXTRACTUM HYOSCYAMI.

Paratur ex Hyoscyami foliis, ut extractum aconiti.

EXTRACTUM JUGLANDIS.

Juglandis putamina cum tantillo aquae contundantur in mortario lapideo. Liquor inde expressus paullatim et caute, ut evitetur empyreuma, evaporet ad justam crassitiem.

EXTRACTUM KINKINAE.

Paratur e Kinkinae cortice, ut extractum absinthii.

EXTRACTUM NICOTIANAE.

Paratur e Nicotianae foliis recentibus eodem modo ac extractum aconiti.

EXTRACTUM STRAMONII.

Paratur eodem modo e Stramonii foliis.

EXTRACTUM TARAXACI.

Paratur e Taraxaci radice siccata, ut extractum absinthii.

Pari modo parantur

EXTRACTUM TRIFOLII AQUATICI,

e Trifolii aquatici foliis;

EXTRACTUM VIOLAE TRICOLORIS,

e Violae tricoloris herba.

HYDRARGYRUM PURUM.

Rc. Hydrargyri Libras tres,
Sulphuris Unciam unam.

Immittantur in retortam vitream, et, applicato recipiente, qua partem, aqua impleto, fiat destillatio.

HYDROSULPHURETUM AMMONIACAE AQUOSUM.

Spiritus sulphuris Beguini.

Rc. Calcis ustae pulveratae Uncias tres,
Salis ammoniaci Uncias duas,
Sulphuris Unciam unam.

Mixta, igne sensim aucto destillent e retorta vitrea, cui scite adaptatum est vas recipiens amplum, continens

Aquae destillatae Uncias tres;

HYDROSULPHURETUM STIBIOSUM.

Kermes minerale.

Rc. Antimonii crudi pulverati Libras duas,
Carbonatis superpotassici pulverati Libram unam.

Mixta liquefiant vi ignis moderati in crucibulo tecto, deindeque effundantur. Massa refrigerata pulveretur et injiciatur in aquam fervidam, quae spathula lignea continuo agitata per horae quadrantem ebulliat. Liquor, fervidus adhuc, coletur, et in vase operto refrigeretur. Praecipitatum inibi natum filtro separetur, et liquor, addita tanta aquae copia, quanta evaporando absumta fuit, iterum super antimonium non solutum, per horae quadrantem ebulliat, coletur et refrigescat. Eadem operatio bis terve repetatur. Praecipitata in unum collecta, rubro-fusca et tenera abluantur aqua tepida, loco umbroso siccentur et serventur.

HYDROSULPHURETUM STIBIOSUM CUM SULPHURE.

Sulphur auratum antimonii.

Rc. Antimonii crudi Uncias duas,
Sulphuris Uncias tres,
Carbonatis superpotassici Uncias sex.

Pulverata et mixta liquefiant in crucibulo ignito, effundantur et refrigerata pulverentur. Solvantur deinde a sufficiente aquae quantitate, per ebullitionem in vase ferreo. Solutioni colatae addantur

Acidum sulphuricum dilutum, quantum satis sit ad plenam praecipitationem.

Praecipitatum aqua calida abluatur, in filtro colligatur et loco umbroso siccetur.

INFUSUM KINKINAE CALIDUM.

Rc. Kinkinae corticis pulverati Uncias duas,
Aquae fontanae fervidae Libram unam et dimidiam.

Macerentur per horas tres in vase vitreo, agitentur subinde et tandem coletur liquidum.

INFUSUM KINKINAE FRIGIDUM.

Rc. Kinkinae corticis pulverati Uncias duas,
Conterantur cum
Aquae fontanae frigidae Libra una et dimidia.

Macerentur per viginti quatuor horas loco temperato in vase vitreo. Colentur.

INFUSUM RHEI.

Rc. Rhabarbari Siberici contusi Uncias duas,
Carbonatis superpotassici depurati Drachmam unam et dimidiam,
Aquae ferventis Libram unam et dimidiam.

Macerentur per duodecim horas in vase vitreo. Deinde exprimendo colentur.

INFUSUM SENNAE.

Rc. Sennae foliorum Drachmas sex,
Aquae bullientis Libram dimidiam.

Macerentur per horam in vase vitreo, deindeque colentur.

LINCTUS OLEOSUS.

Rc. Gummi arabici pulverati Drachmas duas,
Aquae cerasi Unciam dimidiam.

In mortario trituratis admisce
Amygdalarum olei recentis Drachmas sex,
Syrupi amygdalarum Unciam unam.

LINIMENTUM AMMONIACAE.

Linimentum e sale volatili.

Rc. Ammoniacae causticae aquosae quantum placeat,
Olivarum olei triplum pondus.

Quassando misceantur.

LINIMENTUM SAPONIS CAMPHORLTUM.

Linimentum saponaceum.

Rc. Spiritus millefolii compositi Libram unam,
Saponis albi hispanici rasi Uncias duas.

Digerantur, donec solutus sit sapo. Tum addatur
Camphorae Uncia dimidia.

MAGNESIA PURA.

Carbonas magnesiae uratur in crucibulo tecto, ut per horam rubeat. Servetur in vase sollicite clauso ne facultatem cum acidis effervescendi acquirat.

MEL DESPUMATUM.

Rc. Mellis albi Libras sedecim,
Aquae fontanae Libras octo.

Sub coctione auferatur spuma ope cochlearis foraminibus parvis instructi. Solutio deinde per pannum colata inspissetur ad syrupi spissitudinem.

MEL ROSAE.

Rc. Rosae rubrae petalorum siccatorum Libram dimidiam,
Aquae ferventis Libras tres.

Macerentur per duodecim horas. Liquori deinde colato admisceantur
Mellis optimi Librae sex.

MORSULI AROMATICI.

Rc. Sacchari albissimi Libram dimidiam.

Coque cum aquae tantillo, donec gutta aëri exposita mox induréscat. Tum adjice
Amygdalarum dulcium decorticatarum et minutim concisarum Unciam unam et dimidiam.
Aurantii flavedinis concisae Drachmas sex,
Cinnamomi ceylanici corticis pulverati Unciam dimidiam,
Zingiberis radicis pulveratae Scrupulum unum.

Fiant morsuli.

MUCILAGO GUMMI ARABICI.

Rc. Gummi arabici pulverati Partem unam,
Aquae fontanae Partes duas.

In mortario vitreo teratur gummi cum aqua paullatim instillata, donec in mucilaginem abeat.

MUCILAGO LICHENIS ISLANDICI.

Gelatina lichenis islandici.

Rc. Lichenis islandici concisi Libram unam
Aquae fontanae Libras viginti.

Coquantur in vase tecto donec solutum fuerit lichen, et liquoris remanserint Librae sex, quae per linteum fortiter exprimendo colatae seponantur loco frigido, ut gelatinae formam acquirant.

MURIAS AMMONIACAE DEPURATUS.

Sal ammoniacum solvatur in sufficiente aquae calidae quantitate. Solutio per chartam coletur et in vase vitreo ad siccitatem evaporet.

MURIAS AMMONIACAE FERRICUS.

Sal ammoniacum martiale.

Rc. Muriatis ferrici Partem unam,
Salis ammoniaci Partes sex.

Solvantur in
Aquae destillatae sufficiente quantitate.

Solutio sub continua agitatione in vase vitreo ad siccitatem evaporet.

MURIAS AMMONIACAE SUPERHYDRARGYRICUS.

Mercurius praecipitatus albus.

Rc. Muriatis hydrargyrici corrosivi,
Salis ammoniaci depurati, utriusque Partem unam.
Solvantur in
Aquae destillatae Partibus octo.
Solutioni addatur
Carbonatis superpotassici aquosi, quantum praecipitationi sufficiat.
Defuso liquore, praecipitatum aqua calida diligen-
er abluatur, siccetur et servetur.

MURIAS BARYTAE.

Terra ponderosa salita.

ıc. Spathi ponderosi Partes tres,
Hordei farinae Partem unam.
ntime commixta in crucibulo urantur ut farina
rbonescat. Deinde in crucibulum carbonum
ulvere intus oblitum immittantur, et carbonum
lvere largiter obtegantur, atque sub tegmine
inoris crucibuli igne valido per horae spatium
antur. Sulphuretum barytae sic ortum cum
Acido muriatico, decupla aquae quan-
ate diluto, digeratur. Solutio sic producta, per
artam colata evaporet ad siccitatem. Massa
ec salina in crucibulo per horae quadrantem ad
bedinem uratur, deindeque in aqua fervida sol-
tur. Solutio adhuc fervida per chartam cole-

X 2

tur et loco frigido crystallos deponat. Liquor e crystallis decantatus repetita evaporatione novam praebebit salis crystallini copiam.

MURIAS CALCIS.

Calx salita.

Massa, post destillationem ammoniacae causticae aquosae aut carbonatis superammoniacici, residua misceatur cum duplo pondere aquae fervidae, addita portiuncula acidi muriatici. Solutio inde nata acido muriatico plane saturetur, coletur et ad siccitatem evaporet. Servetur in vasis bene obturatis.

MURIAS FERRICUS.

Acidum muriaticum cum sufficiente quantitate oxidi ferrici in phiala vitrea digeratur donec saturatum sit. Solutio rubicunda coletur et ad spissitudinem extracti caute evaporet. Servetur in vase vitreo probe obturato.

MURIAS HYDRARGYRICUS CORROSIVUS.

Hydrargyrus corrosivus albus.

Rc. Hydrargyri puri Libram dimidiam,
Acidi vitrioli Uncias octo.

Coquantur in vase vitreo ad siccitatem. Massa sicca pulveretur et misceatur cum

Salis communis pulverati et siccati Unciis novem

Mixtum immittatur in cucurbitam vitream, cujus nonnisi tertiam partem repleat. Calore gradatim

aucto fiat sublimatio. Sublimatum crystallinum album e superiore cucurbitae parte desumtum ab immunditiis adhaerentibus purgetur et servetur.

MURIAS HYDRARGYROSUS MITIS.

Hydrargyrus dulcis.

Calomel.

Rc. Acidi nitrici Uncias duodecim,

Hydrargyri Uncias quindecim.

Digerantur in cucurbita vitrea, calore sensim ad ebullitionem aucto. Cum apparere cessant vapores rubicundi, pergat adhuc, per horulae spatium, ebullitio. Solutio limpida ab hydrargyro intacto caute decantata affundatur

Aquae fervidae Libris viginti,

n quibus antea solutae sint

Salis communis Unciae quatuordecim.

Liquor supernatans defundatur e pulvere praecipitato, qui aqua fervida copiose addita eluatur, donec haec nullum acquirat saporem. Tandem n charta bibula colligatur et siccetur murias hydrargyrosus.

MURIAS STIBIOSUS.

Causticum antimoniale.

Butyrum antimonii.

Rc. Salis communis Partes duas,

Oxidi stibiosi pulverati Partem unam.

Commixtis et retortae vitreae inditis adfunde

Acidi vitrioli Partem unam.

Excipulo adaptato fiat destillatio. Liquidum, quod sic obtinetur, limpidum servetur in lagena vitrea epistomio vitreo clausa.

NITRAS ARGENTI CRYSTALLINUS.

Argentum purum in Acido nitrico diluto solvatur. Solutio evaporata loco frigido deponat crystallos in tenebris servandas.

NITRAS ARGENTI FUSUS.

Causticum lunare.

Nitras argenti crystallinus in crucibulo argenteo liquescat. Effundatur deinde in fistulas ferri idoneas antea calefactas et sevi tantillo inunctas. Refrigerati bacilli serventur in vase vitreo clauso.

NITRAS POTASSAE DEPURATUS.

Nitrum purificatum.

Nitrum in vase ferreo leni igne liquetur. Refrigeratum pulveretur. Solvatur deinde vi caloris in triplo aquae pondere. Solutio ad pelliculam evaporata refrigescat sub agitatione. Crystallulae sic natae infundibulum colligantur, ut defluat liquor ipsis adhaerens. Abluantur pauxillo aquae frigidae et siccentur.

NITRAS SUPERBISMUTHICUS.

Magisterium bismuthi.

Rc. Acidi nitroso-nitrici,

Aquae destillatae, Partes aequales.

Commixtis paullatim adde

Bismuthi contusi quantum solvatur.

Solutio colata instilletur

Aquae destillatae Partibus sexaginta

interea agitatis. Praecipitatum desidens aqua abluatur et siccetur.

OLEUM AMYGDALARUM.

Rc. Amygdalarum dulcium (non rancidarum) quantum placeat.

In mortario contusas sacculo linteo include, preloque aqua fervente calefacto exprime oleum.

OLEUM CACAO.

Butyrum cacao.

Cacao nuclei, leni igne torrefacti corticibus priventur. Deinde comminuti et sacculo linteo nclusi vapori aquae bullientis exponantur, ut per-calescant. Tum prelo aqua fervente calefacto ex-primatur oleum, quod, admixta aqua calida, ite-um leni calore liquatum per linteum trajiciatur t refrigeratum servetur.

OLEUM LINI.

Exprimatur e Lini seminibus ut oleum amyg-dalarum.

OLEUM LINI CAMPHORATUM.

Rc. Olei lini Unciam unam,

Camphorae Unciam dimidiam.

Misceantur ut fiat solutio.

OSSA USTA PRAEPARATA.

Cornu cervi ustum praeparatum.

Ossium, aut cornuum cervi frusta in furno urantur, donec penitus albescant. Deinde in pulverem subtilissimum redigantur eodem modo ac bolus praeparatus.

OXIDUM FERRICUM.

Ferrum in acido nitrico solvatur. Solutio ad siccitatem evaporet. Pulvis residuus aqua elotus siccetur.

OXIDUM FERROSUM.

Aethiops martialis.

Rc. Oxidi ferrici quantum placeat,

Olivarum olei, quantum satis sit ad pulverem humectandum. Mixtum in retorta vitrea, igne ad candescentiam paullatim aucto, redigatur in massam nigram, quae subtilissime trita in vase clauso servetur.

OXIDUM HYDRARGYRICUM.

Hydrargyrus corrosivus ruber.

Hydrargyrus purus in acido nitrico, vi caloris ad saturationem solvatur. Solutionis, per evaporationem, ad siccitatem redactae Partes tres conterantur cum duabus Partibus hydrargyri puri, usque ad plenam hujus extinctionem. Massa mixta in crucibulum terreum immittatur, et, sub agitatione cum bacillo terreo, igne uratur, donec vaporem nitrosum emittere cesset et rubro colore niteat.

OXIDUM HYDRARGYROSUM.

Rc. Muriatis hydrargyrosi mitis pulverati
Partem unam,
immitte in lagenam vitream cum
Potassae causticae aquosae Partibus
tribus.

Mixtum in loco frigido maceretur et interdum conquassetur, donec penitus niger sit pulvis, qui deinde aqua frigida perfecte ablutus, loco tenebroso super charta bibula siccetur.

OXIDUM PLUMBOSUM.

E superficie plumbi in patina aperta liquefacti auferatur nascens inibi pellicula cinerea, quae deinde cum aqua contrita elutrietur ab immixtis plumbi granis, et siccetur.

OXIDUM STIBIOSUM.

Crocus antimonii elotus.

Rc. Antimonii crudi pulverati,
Nitri pulverati, Partes aequales.

Commixta in mortario ferreo detonent. Massa refrigerata et contrita abluatur fervida aqua, donec haec insipida fiat.

OXIDUM ZINCICUM.

Flores zinci.

Zinci frustula in crucibulum capax, inter prunas candens et nonnihil inclinatum per vices injiciantur, ut inflammentur. Oxidum sublimatum

album saepius eximatur, cum aqua misceatur et e partibus metallicis elutrietur. Siccetur.

OXYMEL.

Rc. Mellis optimi Libras duas,
Aceti vini gallici Libram unam.

Misceantur, vi caloris leniter ebulliant et per linteum colentur.

OXYMEL AERUGINIS.

Rc. Aeruginis tritae Uncias quinque,
Aceti vini gallici Uncias septem,
Mellis Uncias quatuordecim.

Coquantur super igne et spathula diligenter agitentur, donec unguenti crassitudinem habeant.

OXYMEL SCILLAE.

Rc. Mellis optimi Libras duas,
Aceti scillae Libram unam.

Mixta ebulliant et colentur.

PASTA ALTHAEAE.

Rc. Althaeae radicis decorticatae et concisae Libram dimidiam,
Aquae fervidae Libras octo.

Post digestionem viginti quatuor horarum coletur liquidum: cui deinde addantur
Gummi arabici,
Sacchari albissimi, utriusque Librae duae.

Mixtum sub agitatione decoquatur ad spissitudinem mellis. Tum ab igne remotum vehementius agitetur ut albescat: posteaque admisceantur

Albumina ovorum recentium viginti, in spumam antea conquassata, et

Aquae aurantii Uncia una.

Massa in leni calore agitetur donec manibus non adhaereat. Deinde formentur pastae pulvere amyli conspergendae et loco calido exsiccandae.

PASTA AMYGDALARUM.

Pasta regia.

Rc. Amygdalarum dulcium decorticatarum Libram unam,

Amygdalarum amararum decorticatarum Unciam dimidiam.

Mixta contunde in mortario lapideo, simulque adsperge

Aquae aurantii quantitatem justam, ne ex subacta

Sacchari albissimi Libra una, manibus adhaereat massa.

PASTA LIQUIRITIAE.

Pasta glycyrrhizae.

Rc. Liquiritiae radicis decorticatae Libram unam.

Macerentur per duodecim horas. Infuso per linteum colato admisceantur

Gummi arabici Librae tres,

Sacchari albissimi Librae duae et dimidia.

Liquor balnei vaporis calore evaporet, donec gutta in superficie vitri frigidi gelatinae instar con-

crescat. Tum, remota pellicula, transfundatur massa in patellas, pauxillo olei amygdalarum illitas, et leni calore siccetur.

PHOSPHAS SODAE.

Soda phosphorata.

Rc. Ossium ustorum pulveratorum Partes tres,
Acidi vitrioli Partes duas,
Aquae fontanae Partes viginti.

Leniter ebulliant per bihorium in vase vitreo. Tum liquor acidus per linteum exprimatur et sulphas calcis residuus aqua abluatur. Liquoribus commixtis, evaporando ad volumen partium decem redactis iterumque colatis addatur

Carbonatis supersodici quantitas sufficiens ut nonnihil praevaleat basis alkalina.

Solutio per chartam colata evaporet, ut formentur crystalli, quae inter chartas bibulas celeriter siccatae, vase clauso serventur.

PILULAE CASTOREI COMPOSITAE.

Pilulae foetidae.

Rc. Asae foetidae pulveratae,
Castorei pulverati, utriusque Drachmam unam et dimidiam.
Acidi succinici Drachmam dimidiam,
Pyrolei ossium rectificati Scrupulum dimidium,
Tincturae myrrhae, quantum satis sit, ut in massam cogi queant.

Formentur pilulae aequales centum et decem.

PILULAE COLOCYNTHIDIS COMPOSITAE.

Pilulae catharticae.

Rc. Extracti colocynthidis Drachmas duas et dimidiam,

Muriatis hydrargyrosi mitis Drachmam unam,

Resinae jalappae Scrupulos duos,

Caryophyllorum Scrupulum unum.

Pulverata commisceantur cum

Syrupo sacchari, quantum satis sit, ut in massam cogantur. Formentur pilulae aequales Centum triginta et quinque.

PILULAE MURIATIS HYDRARGYRICI.

Pilulae e mercurio corrossivo albo.

Rc. Muriatis hydrargyrici corrossivi,

Muriatis ammoniacae, utriusque scrupulum unum.

Solvantur in

Aquae destillatae quantitate sufficiente, et adde

Sacchari albissimi pulverati Scrupulum unum,

Panis tritici pulverati Drachmas duas.

Ex massa exactissime mixta fiant pilulae aequales Centum et sexaginta, quae leni calore siccentur.

PILULAE SCAMMONII COMPOSITAE.

Rc. Scammonii,

Muriatis hydrargyrosi mitis, utriusque Grana duodecim,

Gummi guttae Grana quinque,

Syrupi communis, quantum sufficiat massae. Formentur pilulae aequales numero sex.

POTASSA CAUSTICA AQUOSA.

Lixivium saponariorum.

Rc. Carbonatis superpotassici depurati Libras duas,

Aquae fontanae Libras viginti,

Quibus, facta in vase ferreo solutione, paulatim addantur

Calcis ustae pulveratae Librae tres.

Coquantur per horae quadrantem, intereaque spathula ferrea agitentur. Liquor deinde per linteum duplicatum coletur, et in vase ferreo tecto evaporet, ut obtineat pondus specificum 1,33. Servetur in lagena vitrea epistomio vitreo obturata.

POTASSA CAUSTICA FUSA.

Causticum salinum.

Potassa caustica aquosa, in olla ferrea nitida linteo cooperta, evaporando supra ignem minuatur, usque quo guttula refrigerata mox solidescat. Tum in crucibulum ferreum transfundatur, ibique, vi caloris, privetur aqua superflua adhaerente, et liquata in fistulas ferreas injiciatur. Post refrigerationem eximatur et servetur in vase vitreo obturato.

PULPA TAMARINDI.

Tamarindi fructus in aqua calida maceretur,

ut medulla deliquescat; quae deinde percolata balnei vaporis calore evaporet ad justam crassitudinem. Tum singulis ejus libris admisceatur

Mellis optimi Uncia dimidia.

PULVIS AROMATICUS.

Rc. Cinnamomi ceylanici Partes duas,
Cardamomi minoris,
Zingiberis radicis, utriuspue Partem unam.

Seorsim pulveratae commisceantur.

PULVIS JALAPPAE COMPOSITUS.

Rc. Jalappae radicis,
Gentianae rubrae radicis utriusque Unciam unam,
Zingiberis radicis Drachmas duas,
Salis anglici Uncias duas.

Seorsim pulverata misceantur.

PULVIS IPECACUANHAE OPIATUS.

Pulvis alexiterius.

Pulvis Doweri.

Rc. Ipecacuanhae radicis pulveratae,
Opii pulverati, utriusque Drachmam unam,
Sulphatis potassae pulverati Unciam unam.

Misceantur.

PULVIS NITRI TARTARICUS.

Pulvis nitrosus.

Rc. Nitratis potassae depurati,

Tartari crystallorum, utriusque Unciam unam,
Sacchari albissimi Uncias tres.
Seorsim pulverata misceanrur.

PULVIS SCILLAE COMPOSITUS.

Rc. Scillae bulbi siccati concisi Partem unam,
Tartari crystallorum Partes quatuor,
Nitratis potassae depurati Partes tres.
Pulveratis admisceantur
Pulveris aromatici Partes duae.

PULVIS SENNAE COMPOSITUS.

Rc. Sennae foliorum Uncias duas,
Scammonii Unciam unam
Tartari crystallorum Uncias quatuor.
Seorsim pulverata commisceantur.

PULVIS SODAE TARTARICUS.

Pulvis aërophorus.

Rc. Tartari crystallorum Unciam unam et dimidiam,
Carbonatis sodae Drachmas quatuor,
Sacchari albissimi Unciam unam.
Seorsim subtiliter pulverata misceantur.
Cuique hujus pulveris unciae, ex ordinatione medici distribuendae, addantur
Aetherolei Menthae piperitidis Guttae tres.

PULVIS TARTARI COMPOSITUS.

Pulvis dentifricius.

Rc. Tartari crudi pulverati Partes viginti quatuor,
Iridis florentinae radicis pulveratae,
Myrrhae,
Kino, singulorum Partes octo,
Coccionellae, cum guttis aliquot succi citri tritae Partem unam.

Terendo commisceantur, ut fiat pulvis tenerrimus, Cum ex praescripto medici distribuendus est, admisceantur cuique pulveris unciae

Aetherolei caryophylli Guttae quatuor.

PYROLEUM OSSIUM RECTIFICATUM.

Oleum animale Dippelii.

Rc. Pyrolei, quod sub destillatione carbonatis superammoniacici pyroleosi obtinetur,
Carbonis lignei praeparati, Partes aequales.

Commisceantur in retorta vitrea tubulata, ex qua lenissimo igne destilletur oleum, perfecte limpidum. Si hoc flavidum habet colorem, repetenda est destillatio cum addito novo carbonum pulvere. Servandum est in lagenis perparvis bene obturatis et in aqua frigida loco tenebroso subversis.

PYROLEUM SUCCINI RECTIFICATUM.

Oleum succini rectificatum.

Pyroleum, sub destillatione acidi succinici obtentum, depuretur eodem modo ac pyroleum ossium.

RESINA JALAPPAE.

Rc. Jalappae radicis quantum placeat, cui pulveratae affunde

Alcoholis aquosi rectificati, quantum satis sit, ut pulverem contegat.

Digerantur leni calore per horas quadraginta et octo. Expresso liquore, pulvis cum novo alcohole digeratur. Tincturae commixtae filtrentur, atque ex iisdem, addita

Aquae quarta parte

destillando eliciatur alcohol. Resina interea subsidens aqua fervida abluatur et modico calore siccetur.

ROB JUNIPERI.

Juniperi baccae maturae contusae aqua macerentur per unum alterumve diem. Deinde ex foramine ad fundum vasis sito defluat liquor, qui baccis iterum superfundatur, similiterque transcoletur, donec fere insipidae fiant baccae. Liquor colatus ad mellis spissitudinem decoquatur.

SAPO AMYGDALINUS.

Rc. Sodae hispanicae,

Calcis ustae, singularum Libram unam,

Aquae fluvialis Libras octo.

Ebulliant. Subsideat pulvis per quietem in vase operto. Liquor colatus evaporet, ut pondus specificum 1,33 obtineat. Refrigerato deinde admisceatur

Amygdalarum olei duplum pondus.

Liquor mixtus spathula agitetur loco temperato, donec spissescat. Tum effundatur in cistulas ligneas; ibique induratus scindatur in taleolas, calore modico siccandas.

SERICUM ADHAESIVUM.

Emplastrum anglicanum.

Ichthyocolla rasa solvatur in tanta aquae calidae copia, ut ad punctum congelationis refrigerata solutio vix in gelatinam concrescat. Hac illinatur sericum rigide extensum, quod deinde calore temperato siccetur. Repetatur illitus duodecies.

Tandem Tinctura benzoes linetur pagina serici aversa.

SEVUM CURATUM.

Paratur e Sevo bubulo eodem modo ac axungia curata.

SPIRITUS LAVENDULAE.

Rc. Lavendulae florum Libram unam et dimidiam,
Alcoholis aquosi rectificati Libras quatuor,
Aquae Libras tres.

Destillando eliciantur Librae tres cum dimidia, ut sit pondus specificum 0,9.

SPIRITUS MILLEFOLII ACETATUS.

Spiritus aromaticus acetatus.

Rc. Spiritus millefolii compositi Libras duas,

Aceti vini gallici Libram unam.

Misceantur.

SPIRITUS MILLEFOLII COMPOSITUS.

Spiritus aromaticus.

Rc. Millefolii summitatum Libram unam et dimidiam,
Rosmarini foliorum,
Thymi herbae, utriusque Libram dimidiam,
Alcoholis aquosi rectificati,
Aquae, utriusque Libras octo.

Macerentur per triduum. Tum destillando eliciantur Librae octo.

SPIRITUS ROSMARINI.

Rc. Rosmarini foliorum Libras duas,
Alcoholis aquosi rectificati,
Aquae, utriusque Libras quatuor.

Destillando eliciantur Librae quatuor.

SPONGIA CERATA.

Spongia tenuis siccata et ab arenulis purgata immergatur in cera flava liquefacta. Deinde fortiter expressa et refrigerata servetur.

STYRAX DEPURATA.

Styrax in alcohole aquoso rectificato soluta per chartam coletur. Ex solutione vi caloris lenis evaporet alcohol.

SUCCINAS AMMONIACAE PYROLEOSO-AQUOSUS.

Liquor cornu cervi succinatus.

℞. Carbonatis superammoniacici pyroleoso-aquosi Libram dimidiam,
Acidi succinici, quantum satis sit ad saturationem.

Misce et per chartam cola.

SULPHAS FERROSUS CRYSTALLINUS.

Vitriolum Martis.

℞. Acidi vitrioli quantum placeat.

Caute infunde in

Aquae fontanae Sextuplum pondus.

Deinde adjice

Ferri limati plus quam quod per digestionem duodecim horarum solvatur.

Solutio per chartam colata evaporet ad pelliculam, et loco frigido demittat crystallos. Residuus liquor denuo evaporet, ut crystallos deponat. Crystalli collectae super charta siccentur et vase clauso serventur.

SULPHAS POTASSAE.

Tartarus vitriolatus.

Massa post destillationem acidi nitroso-nitrici residua, vi ignis ab acido abundante liberetur. Deinde in aqua fervida solvatur, coletur, et evaporatione ad crystallinam formam redigatur.

SULPHAS SUPERAMMONIACICO - CUPRICUS.

Cuprum ammoniacum.

Rc. Vitrioli caerulei pulverati quantum placeat,

Ammoniacae causticae aquosae quantum satis sit, ut vitriolum sub digestione solvat.

Solutioni colatae et refrigeratae adde

Alcoholis quantitatem praecipitationi sufficientem.

Sal praecipitatum charta bibula siccetur et in vase vitreo obturato servetur.

SULPHAS ZINCICUS.

Vitriolum album purum.

Paratur ex Zinci fragmentis et Acido vitrioli pari modo ac sulphas ferrosus.

SULPHURETUM CALCIS.

Rc. Cretae albae pulveratae,

Sulphuris, utriusque Partes aequales.

Mixta in crucibulo operto incandescant per horae quadrantem. Massa refrigerata servetur in vase vitreo clauso.

SULPHURETUM FERRI.

Ferri puri bacillus ad albedinem ignitus, sulphuris contactu liquatus guttatim in aquam defluet. Sulphuretum ex aqua demtum citissime siccetur et in vase clauso servetur.

SULPHURETUM HYDRARGYRI STIBIATUM.

Aethiops antimonialis.

Rc. Sulphureti stibii praeparati Uncias tres,
Hydrargyri Uncias quatuor,
Sulphuris Uncias duas.

Terantur in mortario vitreo, donec perfecte commixta sint.

SULPHURETUM POTASSAE.

Hepar sulphuris.

Rc. Carbonatis superpotassici depurati Partes duas,
Sulphuris pulverati Partem unam.

Misceantur et liquescant modico igne, in crucibulo operto. Massa effundatur et refrigeretur. Servetur in vase vitreo obturato.

SULPHURETUM STIBII PRAEPARATUM.

Antimonium praeparatum.

Paratur ex Antimonio crudo eodem modo ac bolus praeparatus.

SULPHUR PRAECIPITATUM.

Lac sulphuris.

Rc. Sulphureti potassae Partem unam,
Aquae fontanae Partes duodecim.

Solutioni per chartam colatae instilletur
Acidi sulphurici diluti, quantum satis

sit, ut omne dejiciatur sulphur, quod aqua ablutum siccetur.

SYRUPUS ALLII.

Rc. Alii recentis concisi Libram unam,
Aquae ferventis Libras duas.

Macerentur per horam in vase clauso. Liquori deinde colato admisceantur

Sacchari albissimi Librae duae.

SYRUPUS ALTHAEAE.

Rc. Althaeae radicis decorticatae Libram dimidiam,
Aquae fontanae Libras sex.

Coquantur donec evaporaverit tertia pars liquidi. Liquori deinde per expressionem colato admisceantur

Sacchari albissimi Librae sex.

Mixto ad spissitudinem Syrupi cocto et refrigerato addantur

Aquae aurantii Unciae duae.

SYRUPUS AMYGDALARUM.

Rc. Amygdalarum dulcium Libram unam,
Amygdalarum amararum Drachmas duas.

Decorticatis et in mortario lapideo contusis sensim adjiciantur

Aquae fontanae Librae duae.

Aquae aurantii Unciae duae.

Liquor exprimendo coletur, ipsique deinde admisceatur

Sacchari albissimi pulverati, quantum satis sit, ut obtineatur syrupi spissitudo.

SYRUPUS AURANTII.

Rc. Aurantii flavedinis Libram dimidiam,

Aquae fervidae Libras tres.

Digerantur per biduum in vase clauso. Liquori deinde colato adjiciatur

Sacchari albissimi pulverati, quantum satis sit, ad spissitudinem syrupi.

SYRUPUS CERASI.

Rc. Succi e Cerasi fructibus, cum nucleis contusis, recens expressi et defaecati Libram unam,

Sacchari albissimi Libras duas.

Commisceantur in vase vitreo, et leni calore redigantur in syrupum.

SYRUPUS CITRI SUCCI.

Rc. Citri succi recens expressi et defaecati Libram unam,

Sacchari albissimi Libras duas.

Commixta in vase vitreo leni calore redigantur in syrupum.

SYRUPUS RHEI.

Rc. Infusi rhei Partem unam,
Sacchari albissimi pulverati Partes duas.
Misceantur, ut fiat syrupus.

SYRUPUS RIBIS NIGRI.

Paratur e succo baccarum eodem modo quo syrupus citri succi. Similiterque

SYRUPUS RUBI IDAEI,

e succo baccarum Rubi idaei.

SYRUPUS SACCHARI.

Rc. Sacchari albissimi Partes duas,
Aquae Partem unam,
Coquantur paullulum ut fiat syrupus.

SYRUPUS SCILLITICUS.

Rc. Scillae bulbi siccati Unciam unam,
Zingiberis radicis Unciam dimidiam,
Hyssopi herbae Uncias duas,
Aquae menthae piperitidis Libras duas.
Concisis et contusis radicibus et herba, omnia mascerentur in vase vitreo clauso per viginti quatuor horas. Liquori per expressionem colato et defaecato addantur
Sacchari albissimi Librae tres.
Denique paullulum coquendo fiat syrupus.

SYRUPUS SENEGAE.

Rc. Senegae radicis concisae Unciam unam,
Aquae fervidae Libram unam et dimidiam.

Coquantur ad colaturam Unciarum decem. Tum addantur

Sacchari albissimi Libra una et dimidia.

SYRUPUS ZINGIBERIS.

Rc. Zingiberis radicis concisae Unciam unam,
Aquae fervidae Libram unam.

Digerantur in vitreo per horas sex. Liquori tum colato adjiciatur

Sacchari albissimi, quod sufficiat spissitudini syrupi.

TARTRAS AMMONIACAE PYROLEOSO-AQUOSUS.

Rc. Carbonatis superammoniacici pyroleoso-aquosi Libram dimidiam,
Acidi tartarici quantum saturationi sufficiat,
Pyrolei succini rectificati Drachmam unam.

Misceantur conquassando, et post quietem viginti quatuor horarum colentur.

TARTRAS POTASSAE.

Tartarus tartarisatus.

Rc. Carbonatis superpotassici depurati quantum placeat,

Aquae quadruplum pondus.

Solutioni ferventi adjice paullatim

Tartari crystallos pulveratas, quae saturationi sufficiant.

Liquor calidus per chartam coletur et leni igne ad siccitatem evaporet.

TARTRAS POTASSAE FERROSUS.

Tartarus martialis.

Rc. Tartari pulverati Libras quatuor,

Ferri purissimi limati Libram unam et dimidiam,

Aquae Libras quadraginta et octo.

Coquantur in vase ferreo, donec evanescat sapor acidus. Liquor decantatus modico calore ad siccitatem evaporet sollicite cavendo ne aduratur.

TARTRAS POTASSAE SODICUS.

Sal Seignetti.

Rc. Carbonatis supersodici crystallini Libram unam,

Aquae Libras tres.

Solutioni fervidae sensim adjice

Tartari crystallorum pulveratarum quantum satis sit ad saturationem.

Liquor per chartam colatus evaporet ad pelliculam. Tum loco frigido seponatur, ut formentur crystalli.

TARTRAS POTASSAE STIBIOSUS.

Tartarus antimonialis.

Rc. Oxidi stibiosi pulverati,

Tartari crystallorum pulveratarum, utriusque Uncias tres,

Aquae destillatae Libras quatuor.

Coquendo digerantur in vase vitreo, usque quo solutus sit tartarus. Tum liquidum fervens coletur et loco frigido seponatur, ut crystallos demittat. Solutio residua post iteratam evaporationem novas porriget crystallos. Si interea in liquore compareant aciculae tartratis calcis, quae liquorem agitatum turbidum faciant, hic denuo per chartam coletur, antequam ulterius evaporet.

TINCTURA ABSINTHII.

Rc. Absinthii summitatum Uncias quatuor,
Spiritus frumenti Libras duas.

Digerantur per triduum et colentur.

TINCTURA ABSINTHII COMPOSITA.

Tinctura amara.

Rc. Absinthii summitatum Uncias duas,
Cardui benedicti herbae,
Aurantii fructus immaturi,
Galangae radicis, singulorum concisorum Unciam dimidiam,
Alcoholis aquosi rectificati Libras duas.

Digerantur per triduum, deinde per chartam colentur.

TINCTURA AROMATICA.

Rc. Canellae albae corticis,

Cinnamomi ceylanici,
Galangae radicis, singulorum Unciam dimidiam,
Cardamomi minoris seminum Drachmas duas,
Alcoholis aquosi rectificati Libram unam.

Digerantur per triduum et per chartam colentur.

TINCTURA AROMATICA ACIDA.

Tinctura aromatica vitriolata.

Rc. Tincturae aromaticae Libram unam,
Acidi sulphurici Uncias duas.

Caute commisceantur. Post quietem aliquot dierum deliquetur tinctura in lagenam bene obturandam.

TINCTURA ASAE FOETIDAE.

Rc. Asae foetidae Uncias duas,
Alcoholis Libram unam.

Digerantur per triduum, ut fiat solutio, quam filtra.

TINCTURA AURANTII.

Rc. Aurantii flavedinis Libram dimidiam,
Alcoholis aquosi rectificati Libras tres.

Macerentur per triduum et per chartam colentur.

TINCTURA CANTHARIDUM.

Rc. Cantharidum contritarum Unciam dimidiam,
Alcoholis aquosi rectificati Libram unam.

Frigide macerentur per octo dies, deinde per chartam colentur.

TINCTURA CASCARILLAE.

Rc. Cascarillae corticis contusi Uncias duas,
Alcoholis aquosi rectificati Libram unam.

Digerantur per triduum et per chartam colentur.

TINCTURA CINNAMOMI.

Rc. Cinnamomi ceylanici Uncias duas,
Alcoholis aquosi rectificati Libram unam.

Digerantur per triduum et per chartam colentur.

TINCTURA COLOCYNTHIDIS.

Rc. Colocynthidis fructus minutim concisi et seminibus privati Unciam unam,
Anisi stellati contusi Drachmam unam,
Alcoholis aquosi rectificati Uncias quatuordecim.

Digerantur per triduum et per chartam colentur.

TINCTURA DIGITALIS.

Rc. Digitalis foliorum siccatorum Uncias duas,
Alcoholis aquosi rectificati Uncias octo,
Aquae destillatae Uncias quatuor.

Leni calore digerantur in vase clauso per dies tres. Deinde coletur tinctura.

TINCTURA GUAIACI AMMONIACATA.

Rc. Guaiaci resinae Unciam unam,
Alcoholis ammoniacati Libram dimidiam.

Frigide per quatriduum macerata colentur.

TINCTURA KINKINAE AMARA.

Rc. Kinkinae corticis contusi Uncias quatuor,
Gentianae rubrae radicis concisae et contusae,
Aurantii flavedinis, utriusque Unciam unam et dimidiam,
Alcoholis aquosi rectificati Libras quatuor.

Modico calore per triduum digesti per chartam colentur.

TINCTURA LAVENDULAE AROMATICA,

Spiritus lavendulae compositus.

Rc. Spiritus lavendulae Libras tres,
Spiritus rosmarini Libram unam,
Cinnamomi ceylanici contusi,
Nucis moschatae contusae, utriusque Unciam dimidiam,
Coccionellae contusae Drachmam dimidiam.

Digerantur modico igne per triduum et colentur.

TINCTURA MYRRHAE.

Rc. Myrrhae pulveratae Uncias duas,
Alcoholis aquosi rectificati Libram unam.

Digerantur per triduum et per chartam colentur.

TINCTURA OPII.

Tinctura thebaica.

Rc. Opii pulverati Uncias duas,
Alcoholis aquosi rectificati,
Aquae cinnamomi, utriusque Uncias decem.

Opium cum alcohole in mortario calefacto teratur. Deinde addatur aqua cinnamomi. Digerantur per triduum et per chartam colentur.

TINCTURA SCILLAE.

Rc. Scillae bulbi laminarum siccatarum Unciam unam,
Cinnamomi ceylanici Drachmas duas,
Potassae causticae aquosae Drachmam unam,
Alcoholis aquosi rectificati Libram dimidiam.

Digerantur per triduum et per chartam colentur.

TINCTURA VALERIANAE AETHEREA.

Rc. Valerianae radicis pulveratae Unciam unam,
Alcoholis sulphurico-aetherei Uncias octo.

Frigide digerantur in vase clauso et per chartam colentur.

VINUM FERRATUM.

Vinum chalybeatum.

Rc. Ferri subtilissime limati Unciam unam,
Cinnamomi ceylanici pulverati Unciam dimidiam,
Vini rhenani Libram unam.

Digerantur per quatriduum; tum transfundatur liquor.

VINUM GENTIANAE COMPOSITUM.

Rc. Aurantii flavedinis Drachmas sex,
Gentianae rubrae radicis Unciam unam,

Piperis nigri Drachmam dimidiam,
Zingiberis radicis Drachmam unam,
Vini hispanici Libram unam.

Concisis et contusis radicibus et seminibus, fiat per quatriduum digestio. Deinde coletur vinum.

VINUM IPECACUANHAE.

Rc. Ipecacuanhae radicis contusae Drachmas sex,
Vini hispanici Libram dimidiam.

Macerata per quatriduum colentur.

VINUM OPII CROCATUM.

Elixir papaveris.

Rc. Liquiritiae succi Unciam dimidiam,
Croci stigmatum,
Opii pulverati, utriusque Scrupulos quinque,
Vini hispanici Uncias decem.

Digerantur per quatriduum et colentur.

VINUM RHEI.

Elixir rhei dulce.

Rc. Rhabarbari pulverati Uncias duas,
Cardamomi pulverati Drachmas duas,
Vini hispanici Libram unam.

Digerantur per quatriduum. Tum exprimendo colentur.

VINUM RHEI AMARUM.

Elixir rhei amarum.

Rc. Rhabarbari Unciam unam,

Gentianae rubrae radicis Drachmas duas,
Canellae albae Drachmam unam.
Contusa digerantur per triduum cum
Vini hispanici Libra una.
Exprimendo deinde coletur vinum.

VINUM STIBIATUM.

Vinum antimonii.

Rc. Tartratis potassae stibiosi Grana duodecim,
Vini hispanici tepidi Uncias sex
Triturentur, ut fiat solutio, quae per chartam coletur.

UNGUENTUM ACETATIS SUPERPLUMBICI.

Unguentum Saturni.

Rc. Cerae albae Uncias octo.
Quibus liquefactis adde
Olivarum olei Libram unam et dimidiam,
Acetatis superplumbici aquosi Uncias octo.
Ab igne remota subige bacillo ligneo donec perfecta sit unio.

UNGUENTUM AROMATICUM.

Balsamum aromaticum.

Rc. Nucis moschatae olei Unciam unam,
Cerae flavae Drachmas duas.
Modico igne liquatis et deinde a calore remotis admisce
Aetherolei caryophylli,

Lavendulae aetherolei, utriusque Drachmas duas,
Pyrolei succini rectificati Scrupulum dimidium.

UNGUENTUM CALAMINAE COMPOSITUM.

Unguentum exsiccans rubrum Acrelii.

Rc. Calaminae praeparatae,
Lithargyrii pulverati,
Cerussae pulveratae, singulorum Libram dimidiam,
Minii,
Acetatis plumbici pulverati, utriusque Uncias tres,
Sevi curati Libram unam,
Lini olei Uncias octo.

Sevo super igne calefacto admisceatur oleum. Deinde addantur pulveres. Mixto nonnihil refrigerato immisceantur

Camphorae pulveratae Drachmae tres,

ut fiat unguentum.

UNGUENTUM CANTHARIDUM.

Rc. Cantharidum pulveratarum Libram unam,
Unguenti terebinthinae resinosi Libras quatuor.

Coquantur leni calore, per horam, in vase clauso.

UNGUENTUM CANTHARIDUM COLATUM.

Unguentum ad fonticulos Bergii.

Unguentum cantharidum adhuc calidum coletur per linteum. Librae ejus uni addantur

Aeruginis pulveratae Drachmae tres, cum aequali quantitate
Olivarum olei
subtilissime contritae.

UNGUENTUM CERAE.

Rc. Olivarum olei Uncias decem,
Cerae albae Uncias quatuor.
Colliquata deindeque ab igne remota agitentur donec refrixerint.

UNGUENTUM CERUSSAE.

Rc. Cerussae subtilissime tritae Uncias octo,
Axungiae curatae Libram unam.
Misceantur triturando.

UNGUENTUM HYDRARGYRI.

Rc. Axungiae curatae,
Sevi curati, utriusque Libram unam.
Una liquefactis deindeque ab igne remotis, cum spissescere incipiunt, admisceantur
Hydrargyri Librae duae.
Massa diligenter condepsatur, donec coerulescentem acquisiverit colorem, et evanuerint e conspectu hydrargyri globuli.

UNGUENTUM NITRATIS HYDRARGYRI.

Unguentum hydrargyri compositum.

Rc. Hydrargyri Unciam unam,
Acidi nitroso-nitrici Uncias duas.
Digerantur in balneo arenae ut fiat solutio, quae adhuc fervida misceatur cum

Axungiae curatae liquefactae et sub refrigeratione concrescentis Libra una, ut fiat unguentum.

UNGUENTUM ROSATUM.

Rc. Axungiae curatae Libras octo.
Quibus paullatim instilla et pistillo ligneo subige
Aquae rosae Libram unam.

UNGUENTUM SULPHURIS COMPOSITUM.

Rc. Sulphuris,
Saponis Rossici, utriusque Libram dimidiam,
Axungiae curatae Libras duas et dimidiam.
Vi caloris liquefactis immisce
Hellebori nigri radicis pulveratae Uncias duas.

UNGUENTUM TEREBINTHINAE RESINOSUM.

Unguentum basilicum.

Rc. Colophonii flavi,
Sevi ovilli curati,
Terebinthinae communis,
Cerae flavae, singulorum Uncias tres,
Olivarum olei Libram unam.
Liquata spathula lignea commisceantur, donec refrixerint.

UNGUENTUM ZINCICUM.

Rc. Axungiae curatae Uncias sex,
quibus immisce
Oxidi Zincici pulverati Unciam unam.

INDEX.

A.

T.

CODEX
MEDICAMENTARIUS
EUROPAEUS

SECTIO QUINTA

PHARMACOPOEAM

ROSSICAM, FENNICAM ET POLONICAM

CONTINENS

TOMUS II.

PHARMACOPOEA POLONICA.

LIPSIAE ET SORAVIAE,

APUD FRIDERICUM FLEISCHER.

1821.

PHARMACOPOEIA

REGNI POLONIAE

AUCTORITATE

MINISTERII ADMINISTRATIONIS RERUM INTERNARUM ET DISCIPLINAE PUBLICAE.

EDITA.

A

CONSILIO SUPREMO SANITATIS.

LIPSIAE ET SORAVIAE,

APUD FRIDERICUM FLEISCHER.

1821.

PRAEFATIO.

Qua olim Patrium Regnum carebat Pharmacopoeia propria, ea ne diutius regenerato desit, sub Auspiciis Clementissimi MONARCHAE, Patriae Restitutoris, Summique Literarum et Artium Protectoris, jussu et auctoritate Ministerii Administrationis rerum internarum et disciplinae publicae, opere hocce curavimus. Urgebat nimirum necessitas hujus eo major, quo arctius Provinciae, antea diversis legibus obedientes, rursum unius regiminis vinculo cingebantur, et quo gravius nunc et pharmacopoeiae et pondera et nummorum significatio, hisque accommodatum medicamentorum pretium, differebant. Injuncto igitur nobis a Summis Magistratibus muneri codicis comparandi pharmaceutici, qui et scopo, et doctrinae rerum naturalium ad diem usque hodiernum incremento, ar-

tisque medicae dignitati respondeat, qui simplicitate conspicuus efficaciora nequaquam omittat, quin imo inveterato usui quaedam concedat, satisfacere studuimus.

Pharmacopoeiam Borussicam pro basi habere, tam operis istius praestantia, quam familiaris jam usus in maxima Regni parte imperabant; neque tamen Clarissimorum Auctorum Pharmacopoeiarum recentiorum, imprimis Ruthenae, Batavae, Londinensis, Edinburgensis, nec minus Trommsdorfii, aliorumque de re pharmaceutica bene meritorum Virorum studia vilipendimus, nonnulla proprio repetitoque scrutinio emendantes, et ambiguis substituentes certiora.

Alphabeticum ordinem in materia pharmaceutica, nec non in serie praeparatorum et compositorum, ut commodissimum omnium, servandum censuimus.

Terminologiam, qualem Pharmacopoeia Borussica adoptavit, ut majori numero pharmacopolarum et medicorum nostratium jam familiarem, in prima posuimus serie, addendo simul terminos recentiorum Chemiae cultorum sanctionem jam nactos; nomen succinctum, etiamsi ejus compositioni minus accommodatum, verbo-

siori vel barbare sonanti, hinc inde praeferentes. Nomina medicamentorum omnino obsoleta, in opere ipso rejecta, indici rerum interseruimus, in usum puta illorum, qui iis carere nolunt.

Pondus specificum apposuimus, modo quam simplicissimo, iis tantum substantiis, quae id constanter servant, quarum qualitas ab eo pendet, quaeque ad usum earum requiritur ulteriorem, ratione habita eruditionis antiquorum Pharmacopolarum, ne praebeamus iis obscura.

Varsoviae die 15. *Junii* 1817.

PONDERA ET MENSURAE.

Pondera in officinis nostris usitata, desumta sunt a Libra Norica, medicinali sic dicta, quarum XXX. aequant XLVI. Marcas Colonienses.

Libra	continet	Uncias XII.
Uncia	—	Drachmas VIII.
Drachma	—	Scrupulos III.
Scrupulus	—	Grana XX.

Mensura polonica respondet

Aquae Unciis XXX.

MATERIA PHARMACEUTICA.

Acetum. *Ocet.*

Acidum aceticum fermentatione acida cujusvis liquoris vinosi paratum. Sit sincerum, gustu et odore gratum, et tantae aciditatis, ut unciae duae saturent Kali carbonici drachmam. Liquor hac saturatione paratus acrem saporem non habeat. Praecipitatum ab-instillatione aceti saturnini in aceto ortum, sit in acido nitrico solubile.

Adeps suilla. *Tłuscz wieprzowy, Szmalec.*

Sus Scrofa *).

Oleum pingue tela cellulosa omentorum clausum, recens, odoris plane expers.

Aerugo crystallisata. Viride aeris crystallisatum. *Grynszpan krystalizowany.*

Cuprum aceticum crystallisatum, ex atro viridescens, solutione aeruginis in aceto paratum.

---

*) Nomina animalium et vegetabilium, auctoris nomine non consignata, in Systemate Linneano iam recepta sunt.

Aloë lucida. *Aloes.*

Aloë spicata et *Aloë Socotrin*
Frutices Africae australis. Colligitur etia ex Aloë vulgari in India occidentali orientali.

Succus foliorum inspissatus e croceo fu scus, tenuioribus frustulis diaphanus, splen dens, friabilis, saporis peramari, nauseos odoris submyrrhini, guttur vellicantis, i Spiritu Vini ex toto, in Aqua quoad maxi mam partem solubilis.

Alumen crudum. *Hatun.*

Sal octaedrum, acido-stypticum, confla tum ex Alumina, Kali, interdum Ammoni acido sulphurico praedominante, et aqu crystallisationis dimidium totius ponderi superante. Album sit atque subpellucidum metallis non inquinatum.

Ambra grisea. *Ambra szara.*

Materies sōlida, ex nigro cinerea, macu lis et striis variegata, opaca, levis, odori pergrati, leni calore instar cerae liquescen ac deflagrans, in Aethere et Spiritu Vini ma xima ex parte solubilis. Oceano ad littor Indiae orientalis, Aethiopiae et America meridionalis in globis variae magnitudini innatat, plerumque rostris *Sepiae octopodia* referta; unde conjicitur, esse massam, i intestinis *Physeteris macrocephali* secretam.

mmoniacum, vulgo **Gummi ammoniacum.** *Guma Amoniacka.*

Heracleum gummiferum? Willdenowii. *Planta biennis Africae.*

Succus gummeo-resinosus, in grana intus albida, plerumque inter se conglutinata condensatus, tenax, digitis agitatus mollescens, odoris gravis et saporis amaro-nauseosi subacris. Advehitur ex Abyssinia, Libya, Aegypto meridionali, et plurimum e deserto Barca.

mygdalae. *Migdały.*

Amygdalus communis. Arbor Africae borealis in Europa meridionali culta.

Amygdalae dulces. Migdały słodkie.

Nuclei varietatis Amygdali communis fructu majore, putaminum orbi, saporis grati et dulcis.

Amygdalae amarae. Migdały gorzkie. Nuclei amari acido chyazico, animálibus nôxio, nec non oleo pingui referti, provenientes ex varietate Amygdali communis fructu minore.

Rejiciantur fractae, rancidae, maculisque flavis notatae.

mylum. *Krochmal.*

Triticum hybernum et *Triticum turgidum. Plantae cereales biennes cultae.*

Pulvis subtilissimus, albus, insipidus, e farina seminum, relicto principio glutinoso e saccharino, aqua frigida elotus, vel praevia seminum fermentatione, eorum conquassatione, atque edulcoratione pulveris praeparatus, qui aqua coctus in mucilaginem vertitur, sed a frigida neutiquam solvitur, neque colorem tincturae Heliotropii in rubrum mutat.

Antimonium crudum s. Stibium sulphuratum nigrum. *Szpisglanc, Siarczyk antymonu.*

Minera Stibii sulphurati, per eliquationem in vasis clausis a matrice purgata, crystallis acicularibus nitentibus conspicua.

Argentum. *Srébro.*

Metallum album, ductile, via sicca oxygenium respuens, oxydatum cum acido muriatico connubium indissolubile contrahens. In acido nitrico solutum sit limpidum, nec viridescens, nec Liquore ammonii caustici supersaturatum, saphireum colorem induens.

Arsenicum album. *Arszenik biały.*

Arsenicum oxydatum, e mineris Arsenici Cobalti et aliis sublimando paratum, massam refert sconformem, compactam, albam, recens subpellucidam, tempore opacam, in aqua solubilem.

Efficacissimum venenum.

In igne fumi albi instar avolat, nidorem alliaceum spargens.

Asa foetida vulgo Gummi Asa foetida. *Czarcie łayno, Asafeta.*

Ferula Asa foetida. Planta perennis Persiae.

Succus gummeo - resinosus, lactis instar e radice sauciata effluens, contactu aëris in grumos vel flavescentes, vel e fusco roseos, subdiaphanos, tenaces, lentescens; saporis ex acri amaricantis, odoris alliacei nauseosi.

Baccae Berberidis. *Berberys.*

Berberis vulgaris. Frutex Poloniae.

Baccae oblongae, rubrae, peracidae.

Baccae Juniperi. *Jałowiec.*

Juniperus communis. Arbor aut frutex Europae borealis.

Baccae spuriae, nigrae, pulpa subamaro-dulci, oleo aethereo graveolente sociata, repletae.

Baccae Lauri. *Bobki laurowe.*

Laurus nobilis. Arbor Asiae et Europae meridionalis.

Fructus rotundati, nigricantes, odoris aromatici subingrati, ob oleum quidem aethereum unguinoso nuptum.

Balsamum Copaivae. *Balsam Kopachu.*

Copaifera officinalis. Arbor Americae meridionalis, in Brasilia frequens.

Liquor oleoso resinosus ex vulnerata arbore stillans, pellucidus, flavescens, odoris fragrantis, saporis amaricantis subacris. Spiritui vini vel aquae instillatus non lactescat, nec ferro candenti inspersus Terebinthinam redoleat.

Balsamum Indicum s. Peruvianum nigrum. *Balsam Indyiski.*

Myroxylon peruiferum. Arbor Americae meridionalis, maxime regni Granadensis novi.

Liquor oleosus propriae indolis, spissiusculus, ex nigro rubens, saporis acris aromatici, odoris suavis, Acidum proprium, benzoico compar, continens. Fit e ramulis, fortassis ope destillationis per descensum. Bullienti aquae instillatum separatur in partem leviorem, quae aquae pelliculam superinducit, et in partem graviorem, quae fundum vasculi petit. In Spiritu vini fere rectificatissimi partibus tribus limpide solvitur, relictis grumis, lateribus vasis adhaerentibus; connubium olei adeo respuit, ut admixtione ejus spissius reddatur.

Benzoë s. Asa dulcis. *Benzoes.*

Styrax Benzoë Dryanderi. *Arbor Indiae orientalis, prae caeteris in Sumatra frequens.*

Balsamum e cortice trunci et ramorum exsudans, Acidum proprium volatile continens, subfuscum, frustulis albis immixtis variegatum, friabile, nitens, saporis subacris et odoris pergrati, praesertim dum liquatur.

Bismuthum, vulgo Marcasita. *Bizmut.*

Metallum perquam fragile, ex albo subrubicundum, lamellis compositum, leni igne admoto liquescens, Acido nitrico solutum ab aqua sub forma oxydi albi praecipitatur.

Boletus igniarius. *Hubka.*

Boletus igniarius. Per totam Poloniam frequentissimus.

Fungus tenuissime porosus, superne cinereus, margine albescens, inferne albidus. Quercubus, Betulis et Fagis adhaeret.

Boletus Laricis s. Agaricum. *Gębka modrzewowa.*

Boletus Laricis Jacquini. *In truncis senescentibus Pini Laricis Europae australioris obvius.*

Fungus suberosus, tubulis subtilissimis instructus, demto cortice subaurantiaco sicca-

tus, extus cinereus, intus albus, levis, fragilis, saporis subdulcis, amaricantis, acris.

B o r a x. *Borax.*

Tincal, Asiae mediae sal nativum, ex Acido boracico Natro supersaturato, et dimidia circiter parte aquae crystallisationis constans, peracta depuratione et crystallisatione nomine Boracis insignitur. Albus sit, crystallinus, leni igne tumescens, auctiore facile vitrescens, cum acidis non effervescens, et in aqua solutus ab adfuso Liquore Kali carbonici nullum praecipitatum demittens.

C a c a o. *Kakao.*

T h e o b r o m a C a c a o. Arbor in Americae regionibus calidioribus sponte crescens et culta.

Semina ovato-oblonga, plana, e fusco nigricantia, Oleo unguinoso miti turgida, saporis subamari grati.

C a l c a r i a, C a l x. *Wapno.*

Terra propria seu oxydum calcii, quae in spatho calcareo, creta, marmore albo, et in variis animalium testis, v. g. in Testis Ostrearum, aliisque, acido carbonico juncta invenitur, et connubio cum acidis salia genuina sistit. Sit alba et maculis rubiginosis expers.

Calcaria usta vocatur per ustionem acido carbonico et aqua orbata; adfusa aqua ca-

lescens cum strepitu fatiscat. *Cracoviensis* aliis venalibus longe praeferenda.

Camphora. *Kamfora.*

Laurus Camphora. Arbor in Japonia frequens.

Substantia peculiaris, nitida, glaciei instar pellucida, levis, pinguiuscula, tota volatilis, odoris proprii fragrantissimi, saporis acris aromatici, in Spiritu Vini ex toto solúbilis. Leni igne liquata instar olei fluit, et accensa deflagrat omnis. Colligitur destillatione radicum, ligni et ramulorum cum aqua. Cruda in granulis globosis, diaphanis ex India allata, nova sublimatione in frusta semiorbiculata, subtus concava concrescit.

Canella alba. *Biały Cynamon.*

Canella alba Murrayi. *Frutex Jamaicensis.*

Cortex interior rigidus, durus, convolutus, tam foris quam intus albicans, saporis aromatici acris, odoris debilioris.

Cantharides. *Muchy Hiszpańskie.*

Meloë vesicatorius s. Lytta vesicatoria Fabricii.

Insecta coleoptera oblonga, colore ex viridi-aureo splendentia, antennis nigris filiformibus, odoris ingrati, principio caustico erodente praedita, mense Junio et Julio, dum Fraxinum, Syringam et Ligustrum gregarie depascunt, colligenda et leniter siccanda.

Cardamomum minus. *Kardamon mnieyszy.*

Elettaria Cardamomum. Maton. *Planta perennis palustris Indiae orientalis.*

Semina parva subnigra, angulosa, sapore intense aromatico, odore fragrante camphoraceo, pericarpio triquetro fragili, utrinque acuminato, e luteo subfusco, longitudine semipollicari, inclusa.

Caricae, s. Ficus passae. *Figi.*

Ficus Carica. Arbor Europae meridionalis et Orientis.

Receptacula succulenta, pulposa, principio saccharino et mucilaginoso imbuta, semina includentia.

Caryophylli. *Gwoździki kramne.*

Caryophyllus aromaticus s. Eugenia caryophyllata Thunbergii. *Arbor Indiae orientalis, in insulis Moluccis frequens.*

Fructus immaturi germina cum rudimento florum, e fusco nigricantia, claviculis forma similia, oleo aethereo turgentia, saporis acris quam maxime aromatici, odoris fragrantissimi.

Castoreum. *Stróy bobrowy.*

Castor Fiber.

Substantia animalis subfusca, recens molliuscula, exsiccata friabilis, membranulis te-

nuioribus intertexta, odoris proprii nauseosi, saporis amaricantis subacris, propriis in folliculis coriaceis abdomini adnatis secreta.

Castoreum Sibiricum s. Russicum, cui etiam Polonicum, Borussicum et Germanicum adnumerantur, in folliculis magnitudine ovi gallinacei et supra, *Castoreo Canadensi*, aut *Anglico* sic dicto longe antecellit.

Catechu, vulgo Terra Japonica. *Sok katechowy.*

Acacia Catechu. Arbor Bengalensis.

Extractum aquosum, ligni arboris interioris, vel, prout alii malunt, nucleorum, induratum, fragile, e nigro et luteo fuscum, in fractura nitens, odoris nullius, saporis adstringentis, deinde subdulcis, in Spiritu Vini et in Aqua calida aeque solubile.

Cera flava. *Wosk żółty.*

Apis mellifica. Insectum hymenopterum.

Substantia vegetabilis propriae indolis, oleosa, indurata, flava, tenax, e favis liquata, saporis mitis, odoris haud ingrati, spiritu vini fere indissolubilis.

Cera alba. *Wosk biały.*

Cera per apricationem, sub frequente aquae adspersione, albata.

Cerasa acida. *Wiśnie kwaśne.*

Prunus Cerasus; varietas, quae vernacula, czarne kwaśne wiśnie *audit. Arbor in pomariis frequentissima.*

Drupae nigrae, grata aciditate praeditae.

Cerussa alba. *Bleywas.*

Plumbum carbonicum corrosione plumbi metallici vapore aceti paratum. Sit album, ponderosum, nec creta aut aliis heterogeneis vitiatum.

Cetaceum, vulgo Sperma Ceti. *Olbrot.*

Physeter macrocephalus. Oceani incola, mammale.

Substantia sebacea ventriculorum cerebri, quae ab adipe oleosa separata, in massam induratur candidam, subpellucidam, lamellosam, tactu pinguem, sapore mitem, in Spiritu Vini calido et in Aethere solubilem.

Cinnabaris. *Cynober.*

Oxydum Hydrargyri sulphure mineralisatum, nativum, rubrum, circiter septimam partem sulphuris complectens. Ex adfuso acido nitrico fuscum colorem ne induat.

Cinnamomum verum. *Cynamon prawdziwy.*

Laurus Cinnamomum. Arbor Ceylonica.

Cortices convoluti, flexiles, tenues, ex

variis laminis regali charta non crassioribus conflati, glaberrimi, odore proprio fragrantissimo, sapore aromatico linguam feriente, quadantenus dulci instructi.

C i n e r e s c l a v e l l a t i, P o t a s s a c r u d a. *Potaż.*

Massa salina e cineribus maxime lignorum duriorum elixata, Kali carbonico dives, praeterea salia alcalina, terrea, itemque terram siliceam cum Kali caustico intime junctam, continens. Quo facilius in aqua solvitur, et quo minus terrae siliceae ab adfuso acido quocunque praecipitatur, eo melior habenda.

C o l o c y n t h i s. *Kolokwintyda.*

C u c u m i s C o l o c y n t h i s. Planta annua orientalis.

Fructus a cortice exteriori mundatus, pomi magnitudinis et figurae, semina albicantia, in substantia alba, levi, spongiosa, amarissima includens.

C o l o p h o n i u m. *Kalafonia.*

P i n u s s y l v e s t r i s. Arbor, qua Europa borealis abundat.

Resina diaphana, super ignem liquata consistentiam friabilem et colorem ex succineo aurantiacum nacta.

C o n c h a e. *Skorupy ostrzygowe.*

O s t r e a e d u l i s. Maris Germanici incola.

Testae, ab omni sorde depuratae.

Cornu Cervi. *Róg ieleni.*

Cervus Elaphus.

Cortex Angusturae, Cortex Cuspariae. *Kora Angustury.*

Cusparia febrifuga Bonplandi. *Arbor Terrae firmae Americae.*

Cortex externe e fusco ochroleucus, subrugosus, interne ex luteo subfuscus, saporis subaromatici, subacris, et amari. Cavendum est, ne substituatur Cortex spurius ex India orientali allatus, summe deleterius, externe maculis rubiginosis notatus, interne subniger, saporis intense amari, nauseosi, solutionem Ferri sulphurici nigrificans.

Cortices Aurantiorum. *Skórki pomarańczowe.*

Citrus Aurantium. Arbor Orientis et Europae meridionalis, item Indiae occidentalis et Americae meridionalis, apud nos in hybernaculis culta.

Cortex fructus maturi, amaritie non ingrata, odore suavi.

Cortex Cascarillae. *Szakaryla.*

Croton Eluteria. Frutex Jamaicae aliarumque regionum Americae calidioris.

Cortex extus cinereus, subtus ex fusco ferrugineus, fragilis et in fractura nitens, saporis acris amari, prunis injectus gratum, quasi moschatum spargens odorem.

Cortex Chinae regius s. flavus. *China Królewska.*

Cinchona cordifolia Mutis. *Arbor Americae australis.*

Cortex ex eadem regione ac sequens allatus, cinnamomeo-flavus, crassior, magis lignosus, fractura fibrosus, interdum epidermide fusca transversim fissa, licheneque albo obsita, inductus, principio amaro subaromatico aliis Cinchonae corticibus antecellens.

Frustula longitudinaliter rugosa, exhibentiaque maculas farinosas, albas, interdum nigris punctis obsitas, sunt rejicienda.

Cortex Chinae fuscus s. officinalis; Cortex Peruvianus, olim Cortex Kina Kinae. *China brunatna.*

Cinchona Condaminea Humboldt. *Praestat cortex in provincia Loxa collectus. Cortices vulgaris Chinae e variis speciebus Cinchonae in jugis Alpinis Americae australis colliguntur.*

Cortex convolutus, ponderosus, ex fusco griseus, plerumque lichene albido vestitus, odoris submucidi, saporis ex amaro subaromatici, subadstringentis.

Corticis bonae notae decoctum, dum calet, rubicundum apparet, refrigeratum autem pallidum fit et sedimentum dejicit.

Cortex Chinae ruber. *Czerwona China.*

Cinchona oblongifolia Mutis?

Cortex e fusco ruber, cujus frustula ponderosiora, plerumque etiam crassiora, occurrunt. Principio resinoso et adstringente prae caeteris Cinchonae corticibus eminet.

Cortex Geoffreae Surinamensis. *Kora Surynamska.*

Geoffrea inermis Swartzii. *Arbor in sylvis Surinamiae frequens.*

Cortex crassus, fibrosus, externe, ubi lichenibus cinereis tegitur, ex fusco nigricans, interne subfuscus, odoris, si recens est, nauseoso-ingrati, saporis amaricantis austeri.

Cortex Granatorum, Malicorium. *Kora Granatowa.*

Punica Granatum. Arbor, quae in utraque India, in Europa meridionali, et imprimis in Hispania nascitur.

Cortex fructus e fusco rubens, coriaceus, durus, inodorus, saporis amaricantis, valde adstringentis.

Cortex Guajaci. *Kora Gwaiakowa.*

Guajacum officinale. Arbor Indiae occidentalis.

Cortex lignosus, durus, ponderosus, lamellis cinereis aut fuscis compositus, super-

ficie externa e cinereo nigricans, saporis subacris, amaricantis, odoris nullius.

Cortex Hippocastani. *Kora kasztanów dzikich.*

Aesculus Hippocastanum. Arbor Persiae borealis, nunc in Polonia vulgaris.

Cortex biennium trienniumque ramorum, amarus, adstringens, subluteus, epidermide superinductus ex rubro fusca.

Cortex Mezerei. *Wilcze łyko.*

Daphne Mezereum et *Daphne Laureola. Frutices Poloniae, Galliae, Hispaniae, et Germaniae.*

Cortex tenuis, striatus, subluteus, epidermide ex viridi fusca superinjectus, peracris, externe applicatus cutim erodens.

Cortex Pruni Padi. *Kora czeremchowa.*

Prunus Padus. Arbor silvatica indigena.

Cortex ramorum biennium recens, amaroaromaticus, principio chyazico - narcotico abundans, ante foliorum eruptionem colligendus

Cortex Quassiae. *Kora kwasyi.*

Quassia excelsa? Arbor Americae meridionalis, Jamaicae potissimum et Guianae.

Cortex tenuis, fragilis, peramarus, ex albo cinereus.

Cortex Quercus. *Kora dębowa.*

Quercus Robur. Arbor indigena.

Cortex biennium trienniumque ramorum, amarus, adstringens.

Cortex Salicis laureae. *Kora wierzbowa.*

Salix pentandra. Arbor in Polonia haud infrequens.

Cortex tenuis, flexilis, extrorsum fuscus, sapore adstringente, amaro haud ingrato. — Non multum ab hoc distat Cortex Salicis fragilis, ubivis obviae.

Cortex Simarubae. *Kora symaruby.*

Quassia Simaruba. Arbor Americana, in Guiana perfrequens.

Cortex radicis coriaceus, fibrosus, ex albo lutescens, peramarus, odoris nullius.

Cortex Ulmi interior. *Kora wiązowa.*

Ulmus campestris et *effusa. Arbores Poloniae.*

Cortex medius subfuscus, subacris, lamellis tenuibus compositus.

Crocus. *Szafran.*

Crocus sativus officinalis. Planta perennis Europae australis et Orientis, in iisdem regionibus culta.

Stigmata e floribus resecta, e luteo rufe-

scentia, tripartita, basi gilva, sapore amariusculo aromatico, odore fragranti narcotico, et principio extractivo ditissima.

Cubebae. *Kubeba.*

Piper Cubeba s Piper caudatum Bergii. *Frutex Indiae orientalis.*

Fructus pedunculati, globosi, coloris cinerei, magnitudine et forma piperis, odoris fragrantis, saporis acris, aromatici.

Cuprum. *Miedź.*

Metallum ductile, rufum, Acido carbonico nuptum colorem viridem, et a Liquore Ammonii caustico saphireum induens.

Elemi. *Elemi.*

Amyris Ceylanica. Arbor Indiae orientalis; item *Amyris Elemifera, Arbor Americae meridionalis.*

Resina e trunco arboris vulnerato liquide stillans, mox indurescens, ex albo lutea, pinguis, subpellucida, digitis agitata tenax, odorem foeniculi quodammodo spirans. Ex Oriente allata Americanae antecellit.

Euphorbium vulgo Gummi Euphorbium. *Euforb.*

Euphorbia officinarum, et forsan nonnullae aliae *Euphorbiae* species. *Frutices Africae meridionalis.*

Succus lactescens, e planta vulnerata stil-

lans, in aprico in frustulis multiformibus condensatus, squalide flavescens, friabilis, saporis acerrimi urentis, nauseosi; prunis injectus odorem haud ingratum spargens.

F e l T a u r i. *Żółć wołowa.*

Bos Taurus domesticus.

Liquor genuinus vesiculae felleae e luteo viridescens; putredinis sit expers, et ex sano animali sumtus.

F e r r u m. *Żelazo.*

Metallum e cinereo nigrescens, magneti obediens, quod acidis solutum, ab infuso Gallarum colore nigro, a Kali ferro-chyazico colore saturate coeruleo, praecipitatur.

F l o r e s A r n i c a e. *Kwiat pomórnikowy, Tranku górnego.*

Arnica montana. Planta perennis Germaniae.

Flores compositi radiati lutei, saporis ex acri amaricantis, digitis confricati sternutationem moventes, squamulis calycinis brevioribus lanceolatis, apice purpureis.

F l o r e s A u r a n t i i s. N a p h a e. *Kwiat pomarańczowy.*

Citrus Aurantium.

Florum recentium corollae albae, succulentae, odore fragrantissimo suavi, sapore

subamaro aromatico. Lenissimo calore siccatae, vitro probe clauso serventur.

Flores Chamomillae romanae. *Rumian włoski.*

Anthemis nobilis. Planta perennis Europae meridionalis.

Flores compositi radiati, receptaculo fere plano paleaceo, flosculis disci flavis, saporis aromatici, odoris gravis, flosculis radii albis numerosis, brevibus, fere insipidis.

Flores Chamomillae vulgaris. *Rumian pospolity.*

Matricaria Chamomilla. Planta annua in Polonia frequens.

Flores compositi radiati, receptaculo conico nudo, intus cavo, flosculis disci flavis, amaris et fragrantibus, flosculis radii albis, reflexis, insipidis.

Flores Convallariae majalis s Flores Liliorum convallium. *Kwiaty konwaliowe, lanuszkowe.*

Convallaria majalis. Planta perennis silvatica Poloniae.

Corollae campanulatae, albae, dum vigent suaveolentes, siccatae sternutationem moventes.

Flores Granati s. Balaustia. *Kwiat granatowy.*

Punica Granatum.

Flores petalis coccineis et calycibus coriaceis rubris, principio adstringente praediti.

Flores Lavendulae. *Kwiat lawendowy.*

Lavendula Spica. Fruticulus Europae australis, apud nos in hortis cultus.

Corollae cylindricae coeruleae, odoris aromatici gratissimi.

Flores Malvae arboreae. *Czarna róża.*

Althaea rosea Cavanilles. *Planta biennis orientalis, in hortis Poloniae frequenter culta.*

Corollae mucilaginosae, atrofuscae.

Flores Malvae vulgaris. *Kwiat szlazowy.*

Malva rotundifolia, et *Malva silvestris. Plantae perennes, in ruderatis frequentissimae.*

Flores mucilaginei, corollis vel albis, vel coerulescentibus, vel rubicundis, venis aut rubris aut coeruleis pictis.

Flores Meliloti citrini. *Kwiat nostrzykowy.*

Melilotus officinalis. Planta annua per totam Poloniam frequens.

Rami florentes, floribus luteis, odorem proprium subdulcem gravem spirantibus.

Flores Millefolii. *Kwiat krwawnikowy.*

Achillea Millefolium. Planta perennis frequentissima, floribus albis et rubicundis.

Flores compositi exigui, saporis amari subacris, odoris subaromatici.

Flores Rhoeados. *Kwiat maku zaięczego.*

Papaver Rhoeas. Planta annua, inter segetes frequentissima.

Petala rubra, mucilaginosa, odoris subnarcotici.

Flores Rosarum incarnatarum. *Róże centyfoliie.*

Rosa centifolia. Frutex in hortis frequens.

Petala pallide rubentia, odoris gratissimi et saporis subadstringentis.

Flores Rosarum rubrarum. *Róże damasceńskie.*

Rosa gallica s. damascena. Frutex Galliae meridionalis, apud nos hortensis.

Flos nondum evolutus a calyce et antheris mundatus, e fusco rubens, sapore adstringente.

Flores Sambuci. *Kwiat bzowy.*

Sambucus nigra. Arbor per totam Poloniam frequentissima.

Cymae florentes, floribus albis, odorem proprium non ingratum exhalantes.

Flores Tanaceti. *Kwiat wrotyczowy.*

Tanacetum vulgare. Planta perennis, ad vias et inter segetes frequens.

Flores flosculis tubulosis flavis compositi, sapore amaro et odore aromatico, subnauseoso.

Flores Tiliae. *Kwiat lipowy.*

Tilia Europaea. Arbor Europae frequens.

Flores sine bracteis, albi, fragrantes, quinquepetali, calyce quinquefido, aestivationis tempore collecti.

Flores Verbasci. *Dziewanna.*

Verbascum Thapsus. Planta biennis, in locis incultis frequens.

Corollae mucilaginosae luteae, odoris rosacei debilis.

Flores Violarum. *Fiołki.*

Viola odorata. Planta perennis silvatica, in hortis frequenter culta.

Petala intense coerulea odore grato.

Folia Aurantii. *Liście pomarańczowe*

Citrus Aurantium.

Folia ovato-acuminata, glabra, appendice cordata, ad basin aucta, saporis amaricantis, odoris fragrantis.

Folia Lauro-Cerasi. *Liście lauru* lub *wawrzynu wiśniowego.*

Prunus Lauro-Cerasus. Arbor Orientis sempervirens, in hortis culta.

Folia oblongo-ovata, nitida, coriacea, principio chyazico-narcotico, summe deleterio, dotata.

Folia Rhododendri Chrysanthi. *Liście róży syberyyskiéy.*

Rhododendron Chrysanthum. Frutex Sibiriae orientalis.

Folia oblonga, venosa, rigida, narcotica, saporis amaro-adstringentis. Folia Rhododendri ferruginei, subtus ferruginea, tomentosa, hisce saepius intermixta, sedulo segreganda.

Folia Sennae. *Liście senesowe.*

Cassia Senna. Suffrutex in Aegypto superiori, Nubia, regno Tripolitano frequens.

Folia ovato-acuta, inaequalia, e flavo viridia, longitudine semipollicari, sapore subacri, amaricante, subnauseoso. Eligenda, quae ex Alexandria advehuntur.

Folia Uvae ursi. *Liście niedźwiedziego grona, borówkowe.*

Arbutus Uva ursi. Fruticulus Poloniae sempervirens.

Folia obovata, duriuscula, superficie inferiore non punctata sed reticulata, saporis adstringentis.

Formicae. *Mrówki.*

Formica rufa.

Insectum hymenopterum, Acido volatili proprio praeditum.

Fructus Capsici annui s. Piper Hispanicum. *Pieprz turecki.*

Capsicum annuum. Planta annua Americae australis, apud nos in hortis culta.

Bacca carnoso-membranacea, oblonga, conica, nitida, coloris rubri, seminibus albidis compressis repleta, saporis piperei fervidi.

Fructus Mororum. *Morwy.*

Morus nigra. Arbor originis Sinicae, in Europa culta.

Baccae compositae nigrescentes, succo acidulo grato turgidae.

Fructus Prunorum. *Śliwki.*

Prunus domestica. Arbor Europae australis, in Poloniae pomariis frequens.

Drupae oblongae nigrescentes, pruina coerulescente adspersae, pulpa subdulci repletae.

Fructus Ribium rubrorum. *Porzeczki.*

Ribes rubrum. Frutex Poloniae, in hortis cultus.

Baccae globosae, rubrae, subdiaphanae, succo acido grato turgentes.

Fructus Rubi Idaei. *Maliny.*

Rubus Idaeus. Frutex Poloniae silvaticus in hortis cultus.

Baccae compositae, subrotundae, rubentes, succo subacidulo grato, et odore proprio suavissimo.

Gallae. *Galas.*

Quercus infectoria. Arbuscula orientalis.

Nidi Cynipis foliorum Quercus, globosi, tuberculati, principio scytodephico, acido proprio nupto, repleti. Praeferuntur e ni-

gro coerulescentes, ex Aleppo et Smyrna allatae.

Glandes Quercus. *Zołądź.*

Quercus Robur.

Fructus maturi sine cupulis. Recenter carpti statim siccentur clibano non nimis calefacto.

Galbanum s. Gummi Galbanum. *Galban.*

Bubon Galbanum Frutex in Arabia, Syria et India orientali sponte crescens.

Gummi-resina, trunco transversim secto effluens, in grumos luteo-albidos et fuscos indurescens, subtenax, saporis amaro-acris, odoris gravis subnauseosi, oleo aethereo dives.

Gummi Mimosae s. Gummi Arabicum. *Guma arabska.*

Acacia vera, Senegal et *gummifera; aliaeque hujus generis species Mimosae* Linnaei, *in variis Africae regionibus sponte crescentes.*

Gummi pellucidum, albicans aut flavescens, diffractum nitens, saporis viscidi fatui, odoris nullius, in aqua ex toto solubile.

Gummi Tragacanthae. *Guma Dragant.*

Astragalus creticus Lamarck, *et Astra-*

galus gummifer Labillardiere. *Frutices, quorum alter in monte Ida insulae Cretae crescens, gummi optimum album, alter in Libano occurrens, gummi vilioris notae profert.*

Gummi e fruticulis exsudans, in frustulis elongatis, multifarie contortis, condensatum, album, tenax, leve, inodorum, cum aqua mucilaginem spissam saporis fatui formans.

Gutti s. Gummi Guttae. *Gumigut.*

Stalagmitis Cambogioides Murrayi *s. Guttifera vera* Koenigii. *Arbor regni Siamensis, nec non Cambogia Gutta Indiae orientalis.*

Succus arboreus gummeo - resinosus, vel e ramulis resectis, vel e cortice trunci vulnerato flavescens emanans, et leni calore inspissatus in massam ex aureo - flavam, fragilem, fractura nitentem, odoris nullius, saporis ex acri subdulcis.

Helmintochorton. *Mech korsykański.*

Conferva in mari mediterraneo ad littus frequens, e variis cryptogamis pollicaribus invicem intricatis constituta, tertiam solummodo partem *Ceramii Helmintochortos* continet, est ramosa, tenax, saporis subsalsi, nauseosi, et odoris ingrati.

Herba Abrotani. *Boże drzewko.*

Artemisia Abrotanum. Planta perennis

Europae meridionalis et Orientis, nobis hortensis.

Herba amaro-aromatica, foliis multipartitis, e viridi albescentibus.

Herba Absinthii. *Piołun.*

Artemisia Absinthium. Planta perennis frequentissima.

Herba florens, floribus compositis exiguis, subglobosis, pendulis, foliolis lobatis, tomento albo obsitis, sapore peramaro, odore aromatico gravi.

Herba Aconiti. *Turecka bylica, Toiad.*

Aconitum neomontanum Koelle. *Planta perennis, in montosis Silesiae, Austriae et Helvetiae frequens.*

Folia intense viridia, glabra, palmata, quinquepartita, lobis dissectis, principio narcotico acri praedita. Colligenda sunt e planta sponte nascente, nec in hortis culta.

Herba Althaeae. *Szlaz włoski.*

Althaea officinalis. Planta perennis Germaniae.

Folia triangularia, tomento cinereo mollissimo tecta, multa mucilagine repleta.

Herba Arnicae. *Ziele pomórnikowe, Tranku górnego.*

Arnica montana.

Folia ovata, superficie utraque hirta, margine integerrimo, saporis subacris subamari.

Herba Basilici. *Bazylika.*

Ocymum Basilicum. Planta annua Persiae et Indiae orientalis, nobis hortensis.

Herba ramosa, interdum purpurascens, foliis ovato-acutis, integris, glabris, punctatis, gratissimum odorem spargens.

Herba Belladonnae. *Wilcza wiśnia, Tesak, Psinki ogrodne wysokie.*

Atropa Belladonna. Planta perennis Europae meridionalis, in hortis medicis culta.

Planta narcotica summe virulenta, foliis magnis, petiolatis, integris, ovato-acutis, intense viridibus.

Herba Cardui benedicti. *Ziele bernadyńskie, Turecki czubek.*

Centaurea Benedicta. Planta annua ex insulis Archipelagi, in hortis medicis culta.

Herba florens peramara, foliis oblongis, sinuatis, hirsutis, floribus compositis tubulosis luteis, calyce cum foliis adjacentibus ope texturae arachnoideae cohaerente.

Herba Centaurii minoris. *Tysiącznik.*

Erythraea Centaurium. Planta annua pratensis Poloniae.

Herba florens, floribus rubentibus, foliis ovatis, saporis amari acris.

Herba Chelidonii majoris. *Jaskółcze ziele większe, Cendalia.*

Chelidonium majus. Planta perennis in ruderatis et umbrosis frequens.

Folia magna, tenuia, sinuata, glabra, odoris ingrati, succo luteo acri repleta.

Herba Chenopodii ambrosiaci s. Botryos Mexicanae. *Stoziarn, Kapucyńska herbata.*

Chenopodium ambrosioides. Planta annua Mexicana, nobis hortensis.

Herba florens odoris ambrosiacei, saporis aromatici, racemis foliatis simplicibus, foliis lanceolatis dentatis. *Chenopodium Botrys* foliis obtusis profunde et irregulariter sinuatis, laciniis alternis dentatis distinguitur.

Herba Cicutae aquaticae. *Wodna cykuta.*

Cicuta virosa.

Herba cum radice ante aestivationem collecta. Radix magna, crassa, flavescens vel virescens, geniculis, quibus intus prominentes circuli respondent, distincta, odoris et saporis Apio propinqui. Folia magna bipinnata, pinnis linearibus serratis, glabris; radice minus intensioris odoris, atque saporis.

Herba Cochleariae. *Warzęchwa.*

Cochlearia officinalis. Planta biennis, ad litora Europae borealis frequens, apud nos in hortis culta.

Herba florens succulenta, principio acri volatili praedita, foliis radicalibus cordatis, caulinis oblongis sinuatis.

Herba Conii maculati s. Cicutae maculatae. *Swinia wesz.*

Conium maculatum. Planta biennis in Polonia frequens.

Herba obscure viridis, foliis compositis triplicato-pinnatis, foliolis lanceolatis incisis glabris, caule et ramis majoribus maculis purpureis aspersis, nidorem nauseosum lotio murino similem exhalans.

Herba Digitalis. *Naparsztnica.*

Digitalis purpurea. Planta montana Helvetiae et Germaniae.

Herba virulenta, foliis ellipticis, rugosis, hirsutis, margine serratis, saporis amari acerrimi. Colligenda planta in montosis sponte crescens, nec in horto culta.

Herba Erysimi. *Gorczycznik.*

Erysimum officinale. Planta annua ad vias creberrima.

Folia longa, laciniato-pinnata, lacinia terminali majore trifida, dentata, scabra, sapore nasturtino non acri praedita.

Herba Farfarae. *Podbiał.*

Tussilago Farfara. Planta perennis Poloniae.

Folia subcordato-angulata, denticulata,

subtomentosa, saporis subadstringentis subamari.

Herba Fumariae. *Ptasia rutka.*

Fumaria officinalis. Planta annua, inter olera et segetes frequens.

Herba subamara, foliis compositis, foliolis trilobatis.

Herba Gratiolae. *Konitrud.*

Gratiola officinalis. Planta perennis in pratis et ad ripas Poloniae.

Herba florens, amaro-acris, foliis lanceolatis serratis, glabris, floribus subalbidis, diandris, caule rigidiusculo.

Herba Hederae terrestris. *Blusczyk ziemny, Kurdwan.*

Glecoma hederacea. Planta perennis frequentissima.

Folia reniformia, crenata, saporis amaricantis, subaromatici.

Herba Hyoscyami. *Bieluń, Szaléy, Lulek.*

Hyoscyamus niger. Planta biennis, in ruderatis et ad vias frequens.

Herba virosa foliis semiamplexicaulibus, sinuatis, hirsutis, odore nauseoso, narcotico.

Herba Hyssopi. *Izopek.*

Hyssopus officinalis. Fruticulus Europae meridionalis, nobis hortensis.

Herba aromatica, foliis lanceolatis glabris.

Herba Lactucae virosae. *Sałata jadowita, Łocyga dzika.*

Lactuca virosa. Planta vulgaris Europae australioris.

Herba caule inferne aculeato, foliis basi sagittatis, apice obtusis, oblongo-lanceolatis duriusculis, glaucis, margine et inprimis carina aculeatis, odore ingrato, sapore acri amaroque ac succo lacteo albo praedita.

Herba Ledi palustris s. Rorismarini silvestris. *Dziki rozmaryn, Bagno.*

Ledum palustre. Fruticulus in cespitosis et uliginosis Poloniae frequens.

Folia lineari-lanceolata, superficie superiori glabra, saturate viridia, inferiori hirsuta, fusca, sapore amaro adstringente, odore gravi.

Herba Majoranae. *Majeran.*

Origanum Majorana. Planta annua Europae meridionalis, in hortis culta.

Herba aromatica, foliis ovatis obtusis, e viridi albicantibus.

Herba Malvae. *Szlaz.*

Malva rotundifolia.

Folia cordato-orbiculata, subquinqueloba, mucilaginea.

Herba Mari veri. *Ambrowe ziele.*

Teucrium Marum. Fruticulus Europae meridionalis et Orientis, prae ceteris in Hispania et Syria frequens.

Herba aromatica, fragrans, foliis ovatis petiolatis, superficie inferiore, una cum petiolis et ramulis tomento albo superinductis, floribus racemosis purpureis.

Herba Marrubi. *Szanta.*

Marrubium vulgare. Planta perennis, in ruderatis frequens.

Herba amara, hirsuta, e viridi albicans, foliis ovatis, crenatis, rugosis.

Herba Matricariae. *Maruna.*

Pyrethrum Parthenium, Smith. *Planta perennis Poloniae.*

Rami florentes amaro-aromatici, floribus compositis radiatis, disco flavo, radio albo brevi, foliis compositis planis, foliolis ovatis incisis.

Herba Melissae s. Melissae citratae. *Melisa cytrynowa.*

Melissa officinalis. Planta perennis nobis in hortis culta.

Herba aromatica odoris citrei, foliis ovato-cordatis, serratis, subvillosis.

Herba Menthae crispae. *Mienta kędzierżawa.*

Mentha crispa. Planta perennis originis Sibiricae, in hortis culta.

Herba aromatico-amaricans, suaveolens, foliis cordatis, dentatis, rugosis, angulatis.

Herba Menthae piperitae. *Mienta pieprzna.*

Mentha piperita. Planta perennis Angliae, in hortis medicis culta.

Herba foliis petiolatis, ovato-acutis, saporis aromatico-camphoracei, palatum quasi refrigerantis.

Herba Millefolii. *Krwawnik.*

Achillea Millefolium.

Herba amaro-aromatica, foliis bipinnatis, laciniis linearibus dentatis.

Herba Nicotianae. *Liście tabakowe.*

Nicotiana Tabacum. Planta annua Americae meridionalis, apud nos culta.

Folia oblonga, magna, odoris narcotici, saporis acris. Exsiccata fuscum induunt colorem.

Herba Oreoselini. *Opich górny, Pietruszka górna.*

Athamantha Oreoselinum. Planta perennis, in apricis silvaticis frequens.

Herba umbellifera, ramosa, foliis decompositis, foliolis ovatis, incisis, glabris, odore suavi subaurantiaco, sapore subaromatico grato.

Herba Origani vulgaris. *Lebiotka.*

Origanum vulgare. Planta perennis Poloniae.

Herba aromatica, ramis quadrangulis rubentibus, foliis oppositis ovatis, bracteis ovatis, calyce longioribus.

Herba Roris marini. *Rozmaryn.*

Rosmarinus officinalis. Frutex Europae meridionalis.

Folia lineari-lanceolata, pagina superiori intense viridia, inferiori non rubiginosa, odoris et saporis aromatici.

Herba Rubi Chamaemori. *Moruszka.*

Rubus Chamaemorus. Planta in Sibiriae, Sueciae, Daniae paludibus frequens.

Herba caule bifolio unifloro, foliis simplicibus lobatis.

Herba Rutae. *Ruta.*

Ruta graveolens Fruticulus hortensis, Europae meridionalis indigena.

Herba amaro-acris, graveolens, e viridi subcoerulescens, foliis decompositis, foliolis cruciformibus, aestivatione peracta colligenda.

Herba Sabinae. *Sawina.*

Juniperus Sabina. Frutex Asiae borealis et Europae australis sempervirens, nobis hortensis.

Summitates ramorum foliis oppositis, erectis, decurrentibus, saporis amaro-acris, odoris gravissimi.

Herba Salviae. *Szałwia.*

Salvia officinalis. Fruticulus hortensis in Europa meridionali sponte crescens.

Herba amaro-aromatica, subadstringens, foliis lanceolato-subovatis, integris, rugosis, crenulatis.

Herba Scordii. *Ziele czosnkowe.*

Teucrium Scordium. Planta perennis Poloniae.

Herba amara, odoris suballiacei, foliis oblongis sessilibus, dentato-serratis.

Herba Serpylli. *Macierzanka.*

Thymus Serpyllum. Fruticulus Europaeus, in apricis frequentissimus.

Herba amaro-aromatica, fragrans, caule repente, foliis planis, ovatis, obtusis, basi ciliatis, floribus capitatis purpurascentibus.

Herba Stramonii. *Tondera.*

Datura Stramonium. Planta annua, ex America oriunda, nunc ad sepes et ubique in ruderatis frequens.

Plantae virosae folia ovata, acuminata, dentato-sinuata, venosa, odoris nauseosi, narcotici.

Herba Tanaceti. *Wrotycz.*

Tanacetum vulgare.

Herba amaro-aromatica, foliis bipinnatis, incisis, serratis.

Herba Taraxaci. *Wołowe oczy, Swini mlecz.*

Leontodon Taraxacum. Planta perennis in pascuis frequentissima.

Herba amaricans, floribus compositis lingulatis, flavis, foliis runcinatis, denticulatis, laevibus, lactescentibus.

Herba Thymi. *Tymian, Szmer włoski.*

Thymus vulgaris. Fruticulus hortensis, in Europa meridionali sponte crescens.

Herba aromatica, caule erecto ramoso, foliis ovatis, revolutis, floribus verticillato-spicatis, albis.

Herba trifolii aquatici s. fibrini. *Tróylist.*

Menyanthes trifoliata. Planta perennis palustris Poloniae.

Herba amara, foliis ovatis, ternis.

Herba Veronicae. *Przetácznik.*

Veronica officinalis. Planta perennis Poloniae.

Herba amaricans, caule procumbente, spicis lateralibus pedunculatis, floribus coerulescentibus, foliis oppositis, ovatis, crenatis.

Herba Violae tricoloris s. Jaceae. *Fiołek potróyny, Wdówki, Brat z Siostrą.*

Viola tricolor. Planta annua in arenosis frequens.

Herba subacris, foliis ovatis, dentatis, floribus calyce glabro duplo majoribus, bina varietate obvia.

Hydrargyrum s. Mercurius vivus. *Żywe srébro.*

Metallum album, ponderosum, volatile, sub nostro coelo liquidum. Reperitur nativum maxima vero parte destillando e mineris cinnabarinis colligitur.

Ichthyocolla s. Colla piscium. *Karuk.*

Acipenser Sturio, A. stellatus, A. Huso. Maris Caspici incolae.

Colla ex intestinis, maxime e vesica natatoria coctione extracta, refrigerio in pelliculas condensata, et dein convoluta. Sit albida, ponderosa, tenax, in Aqua solubilis.

Kino s. Gummi Gambiense. *Guma Kino.*

Arbor Africae interioris nondum satis cognita.

Massa friabilis, opaca, e rubro nigricans, splendens, in Aqua et Spiritu Vini solubilis saporis peradstringentis.

Lacca in ramulis. *Guma Laka.*

Croton lacciferum, Ficus religiosa, F. indica. Arbores Indiae orientalis.

Massa resinosa, fragilis, succo Cocci Ficus infectorio amoene rubro imbuta, larvas insecti includens, et ramulis etiam, super quibus efformata est, adhaerens.

Lapides Cancrorum. *Kamienie racze.*

Cancer Astacus, Astacus fluviatilis Fabricii. *Insectum apterum.*

Concrementa calcaria, alba, orbiculata, una parte convexa, altera sinuata, in Acido nitrico, relicta gelatina, solubilia, texturae la-

mellosae, superficie, qua ventriculo cancri adhaerent, umbilicata. In aquam demersi ne dehiscant.

Lichen Islandicus. *Mech Islandzki.*

Cetraria Islandica. In montibus Silesiae, Thuringiae, Hercyniae, aliisque montosis frigidis Europae borealis frequens.

Lichen amaricans, valde mucilaginosus, coriaceus, sinuatus, lacunosus, superiori pagina cinereus, inferiori fuscus.

Lignum campechianum. *Niebieskie drzewo.*

Haematoxylon campechianum. Arbor Americae calidioris.

Lignum durum, ponderosum, tinctorium, e flavo rubrum, saporis subadstringentis, subdulcis.

Lignum Guajaci. *Swięte, Francuzkie drzewo.*

Guajacum officinale. Arbor Indiae occidentalis.

Lignum ponderosum, compactum, resinosum, e viridi cinereum, saporis subamari acris, odoris balsamici, haud ingrati.

Lignum Juniperi. *Drzewo iałowcowe.*

Juniperus communis.

Lignum albidum, resinosum, suffitu odorum.

Lignum Quassiae. *Drzewo kwasya.*

Quassia excelsa? Arbor Indiae occidentalis.

Lignum albicans, leve, inodorum, saporis amarissimi; a Ligno Rhois Metopii, fraudulenter substituto, cujus decoctum ex adfuso ferro sulphurico nigrescit, bene distinguendum.

Lignum Sassafras. *Drzewo Sasafras.*

Laurus Sassafras. Frutex Pensylvaniae, Carolinae, Virginiae et Floridae.

Radix lignosa, levis, coloris subrubicundi, aut cinerei, saporis subdulcis, odoris foeniculacei, cortice e fusco ferrugineo, spongioso cincta.

Lithargyrum. *Gleyta.*

Plumbum oxydatum semifusum, quod in cupellatione argenti forma squamularum e rubello flavicantium acquiritur. Liquorem ammonii caustici subcoerulescens rejiciatur.

Macis. *Kwiat muszkatowy.*

Myristica moschata. Arbor aromatica insulae Bandae, celebris inter Moluccas.

Arillus laciniatus, nucem moschatam in-

star reticuli circumdans, pinguis, coloris e cinnamomeo fusci, odoris et saporis valde aromatici, fragrantis, grati, Spiritui Vini luteum colorem concilians.

Malthum Hordei. *Słód ięczmienny.*

Hordeum vulgare et *Hordeum hexastychon. Gramina annua cerealia.*

Semina hordei, post primam germinationem siccata, ultra annum non servanda.

Manganum oxydatum nativum. *Niedokwas manganu rodzimy.*

Oxydum nigrum, inquinans, ponderosum, in vase clauso ignitum, gas oxygenium largiens. Pulveratum utpote alienis interdum adulteratum rejiciatur.

Manna canellata. *Manna.*

Fraxinus rotundifolia Aitoni. *Arbor in Calabria et Sicilia frequens.*

Succus, tam sponte, quam ex arbore vulnerata stillans, solis calore in massam grumosam, levem, ex albo lutescentem, saporis dulcis subacris, odoris melligeni, condensatus.

Mastiche. *Mastyx.*

Pistacia Lentiscus. Arbor insularum Archipelagi.

Resina in guttis rotundis stillata, pellu-

cida, splendens, coloris ex albido citrini, prunis injecta suaveolens, sub masticatione tenax, ob principium proprium visco non absimile, quod Spiritu Vini non solvitur.

M e l. *Miód.*

Apis mellifica.

Substantia saccharina, spissiuscula, e nectariis florum ab apibus collecta, et in earum corpore quodammodo modificata.

Mel album s. virgineum. *Lipiec.* Mel, sponte e favis juniorum apium elicitum.

M i l l e p e d a e. *Stonogi.*

Oniscus Asellus. Insectum apterum, in locis humidis subterraneis frequens.

Insecta oblonga, humore acri repleta, annulis cartilagineis squamosis cincta, dorso cinerei, abdomine albi coloris, quatuordecim pedibus et cauda acuminata bifida, instructa.

M i n i u m. *Minia.*

Plumbum ustione in oxydum rubrum conversum.

M o s c h u s. *Piżmo.*

Moschus moschiferus. Animal ex ordine pecorum, Asiae mediae locos montosos inhabitans.

Massa unctuosa, saporis amaricantis, odoris peculiaris fragrantissimi diu persistentis,

secreta in folliculo rotundo, extus pilis obsito, abdomini pone umbilicum inhaerenti, quae una cum folliculo siccata, granula refert e rufo nigricantia, in textu celluloso deposita.

Eligendus est Moschus Tunquinensis e regno Thibetano et Sinico allatus, cujus folliculi, magnitudine ovi et ultra, extus pilis brevibus, rigidis, subfuscis obsiti, intus membranula fusca tenera vestiti sunt.

Myrrha. *Mirra.*

Amyris Kataf? Forskohl. *Arbor Arabiae felicis et Aethiopiae.*

Succus resinoso-gummeus, friabilis, levis, subpellucidus, e flavo rufescens, striis albis immixtis, saporis amaro-aromatici, odoris aromatici non ingrati.

Nitrum crudum. *Saletra.*

Sal ex Kali et Acido nitrico a potiori constans, cum Kali muriatico, Calcaria et Magnesia nitrica inquinatus, qui potissimum in nitrariis nostris elixando colligitur, rarius ex India orientali affertur.

Nuces Juglandes immaturae, *Orzechy włoskie niedoyrzałe.*

Juglans regia. Arbor apud nos culta.

Nuces moschatae, Nuclei moschati. *Gałki muszkatowe.*

Myristica moschata.

Nuclei oleosi, subrotundi, ponderosi, extus cinerei, intus e fusco rubentes, saporis aromatici suavis, odoris fragrantissimi.

Nuces vomicae. *Wronie oczy, Kulczyba.*

Strychnos Nux vomica. Arbor Ceylanica, et Malabarica.

Semina orbiculata, compressa, tenacia, villis e cinereo argenteis splendentibus obsita, virulentia, saporis summe amari.

Oleum Cajoputi. *Kaiuput.*

Melaleuca Cajuputi. Arbor Indiae orientalis.

Oleum aethereum, tenue, in Malabaria et Insula Banda e foliis destillatum, origine flavescens, limpidum, odoris fragrantis camphoracei, saporis aromatici cardamomei, plerumque colore viridi conspicuum.

Oleum de Cedro. *Oley cytrynowy.*

Citri medicae Varietas.

Oleum aethereum fragrans, subflavescens, e sacculis oleosis corticis fructus maturi expressione collectum.

Oleum laurinum. *Oléy bobkowy.*

Laurus nobilis.

Oleum aethereo-unguinosum, e Lauri baccis recentibus exprimendo vel coquendo in Aqua collectum, e flavo viride, spissum quasi granulatum, odoris laurini, in Aethere solubile.

Oleum Olivarum. *Oliwa.*

Olea europaea. Arbor Europae meridionalis.

Oleum subviride, e fructibus fere maturis expressum, odoris, dum recens est, p' ne expers. Album nec non odoris rancidi rejiciendum est.

Oleum Ricini. *Oléy klesczowiny, rycynusowy.*

Ricinus undulatus. Planta annua Indiae occidentalis, in hortis culta.

Oleum unguinosum subflavum, e seminibus expressum, in Spiritu Vini rectificatissimo solubile.

Oleum Vitrioli. *Oléy koperwasowy.*

Acidum sulphuricum concentratum, impurum, venale, combustione sulphuris cum nitro mixti acquisitum, aut e Ferro sulphurico destillatione sicca elicitum. Acido arsenico ne sit conspurcatum.

Olibanum s. Thus. *Kadzidło białe.*

Boswallia serrata. Arbor in montibus Indiae orientalis crescens.

Resina granulosa, subdiaphana, ex albido lutescens, fragilis, saporis subamaricantis, odoris, dum accenditur, fragrantis.

Opium. *Opium.*

Papaver somniferum. Planta annua, in Oriente et Aegypto culta.

Succus lacteus, e pericarpiis submaturis vulneratis stillans, condensatus, tenax, coloris e flavido fusci, principio summe narcotico perdives, saporis acris amari, odoris fortis nauseosi.

E viridi nigricans rejiciendum est.

Opopanax. *Panakowy sok.*

Pastinaca Opopanax. Planta biennis Europae meridionalis et orientalis.

Gummi-resina subfusca, granulosa, tactu subpinguis, fragilis, saporis amaricantis, acris, subnauseosi, odoris gravis, ad odorem Radicis Levistici accedentis.

Ova gallinacea. *Kurze iaia.*

Phasianus Gallus domesticus.

Petroleum s. Oleum Petrae. *Olèy skalny.*

Bitumen liquidum, oleum aethereum referens, flavum aut rubescens, plerumque e rupium fissuris stillans. In oleis, nequaquam in spiritu vini, cui innatat, solubile. Ex Italia et Gallia advehitur.

Piper album. *Pieprz biały.*

Piper nigrum. Frutex Indiae orientalis.

Semina fructus maturi, albida, rotunda,

epidermide rubra acriore privata, saporis fervientis acris.

P o m a A u r a n t i o r u m. *Pomarańczki.*

Citrus Aurantium.

Fructus immaturi siccati, e viridi nigrescentes, aromatici, amari.

P o m a C i t r i. *Cytryny.*

Citrus medica.

P o m a a c i d u l a. *Jabłka.*

Pyrus Malus. Arbor Europae, in hortis culta.

R a d i x A l t h a e a e. *Korzeń Szlazu włoskiego.*

Althaea officinalis.

Radix decorticata perennis, teres, intus alba, multa mucilagine repleta.

R a d i x A n g e l i c a e. *Dzięgiel.*

Angelica Archangelica. Planta biennis Norvegiae et Lapponiae, in hortis culta.

Radix fragrans, fibrosa, capite oblongo, crasso, extus e flavo rubens, in superficie segmentorum transversorum alba, maculis numerosis flavis, oleo aethereo repletis, punctata.

Radix Ari. *Korzeń aronowéy brody lub obrazkowy.*

Arum maculatum. Planta perennis Germaniae.

Radix tuberosa subrotunda, alba, crassitie partis dimidiae pollicis; recens sapore acerrimo, siccata autem, acredine fere orbata, farinosa.

Radix Armoraciae s. Raphani rusticani. *Chrzan.*

Cochlearia Armoracia. Planta perennis pratensis Poloniae, frequenter culta.

Radix cylindrica, albida, succulenta, oleo aethereo summe volatili peracri turgida.

Radix Arnicae. *Korzeń pomórnikowy.*

Arnica montana.

Radix horizontalis, infra fibrosa, fusca, subamara, subacris.

Radix Asari. *Korzeń kopytnikowy.*

Asarum europaeum. Planta perennis silvestris Poloniae.

Radix fibrosa, e cinereo fusca, saporis amaro acris nauseosi, odoris subaromatici.

Radix Bardanae. *Korzeń łopianowy.*

Arctium Lappa. Planta biennis, ubique obvia.

Radix ramosa, levis, spongiosa, extus nigricans, intus albida, saporis ex acri subdulcis.

Radix Belladonnae. *Korzeń wilczéy wiśni.*

Atropa Belladonna.

Radix sublignosa, ramosa, extus sordide lutea, summe venenosa.

Radix Bryoniae. *Korzeń przestępowy.*

Bryonia alba et *Bryonia dioica* Jacquini. *Plantae perennes Poloniae.*

Radix fusiformis, praegrandis, alba, in taleolas transversas dissecta, annulis sibi invicem incumbentibus et radiis conspicua, sapore amaro-acri nauseoso.

Radix Calami. *Korzeń tatarakowy.*

Acorus Calamus. *Planta perennis palustris Poloniae.*

Radix amaro-aromatica, fragrans, articulata, spongiosa, crassitie pollicari, junctim cum epidermide rutila viridi siccanda, hac vero destituta, ut minus efficax rejiciatur.

Radix Caricis arenariae. *Czarny pérz, Korzeń turzycy.*

Carex arenaria. *Gramen perenne in arenosis Poloniae frequens.*

Radix praelonga, repens, articulata, no-

dosa, extus rubens, alba, saporis subdulcis farinacei, odoris aliquantulum terebinthinei.

Radix Carlinae s. Cardopatiae. *Korzeń Dziewięćsiłu.*

Carolina acaulis. Planta perennis montana Germaniae et Helvetiae.

Radix ramosa, crassitie pollicis, extus fusca, intus pallida, saporis peramari, acris, odoris subaromatici.

Radix Caryophyllatae. *Korzeń gwoździkowy lub kuklikowy.*

Geum urbanum. Planta perennis frequens.

Radix fibrosa, fusca, intus rubens, odore et sapore aromatico caryophyllaceo praedita.

Radix Cichorei. *Korzeń podróżnikowy.*

Cichoreum Intybus. Planta biennis Poloniae, frequenter culta.

Radix ramosa, subflava, crassitie pollicis, lactescens, saporis amaricantis.

Radix Colombo. *Kolumba.*

Menispermum hirsutum Brotero. *Planta ex Africae littoribus orientalibus oriunda.*

Radix lignosa, extus subfusca, rugosa, intus e viridi lutea, in taleolas transversim secta, saporis amaro-mucilaginei. Adfertur ex Insula Ceylan.

Radix Contrajervae. *Korzeń bezoarowy.*

Dorstenia Contrajerva. Planta perennis Americae calidioris.

Radix nodosa et fibrosa, capitulo oblongo tenui, extus rufa, intus alba, saporis aromatici, odoris fragrantis.

Radix Curcumae. *Kurkumel.*

Amomum Curcuma Jacquini. *Planta perennis Indiae orientalis.*

Radix oblonga, rugosa, ponderosa, extus lutea, intus intense flava, saporis amaro-aromatici.

Radix Dauci. *Marchew.*

Daucus Carota, var. *sativa. Planta biennis Poloniae, in hortis culta.*

Radix fusiformis, e flavo rubens, esculenta, succo dulci repleta

Radix Dictamni albi s. Fraxinellae. *Korzeń maciczny, dyptamowy.*

Dictamnus albus. Planta perennis in montosis Germaniae, praesertim meridionalis.

Cortex radicis albicans, sapore amaricante subacri, odore, si recens est, gravi.

Radix Filicis maris. *Korzeń świętojański czyli paprociowy.*

Aspidium Filix mas. Swarzii. *In silvis Poloniae frequens.*

Radix oblonga digitum circiter crassa, undique bulbis oblongo ovatis, incurvatis, approximatis, nigricantibus, et squamis emarcidis ferrugineis obsessa, omne bulbosum et squamosum ante siccationem radicis rescindendum. Radix recens siccata coloris pallide viridis nec non odoris nauseosi vitro probe clauso servanda.

Radix Foeniculi. *Korzeń kopru włoskiego.*

Anethum Foeniculum. Planta biennis Galliae meridionalis et Helvetiae, in Polonia culta.

Radicis ramosae rami biennes, crassitie digiti, saporis subdulcis et odoris grati.

Radix Galangae. *Korzeń gałganowy.*

Alpinia Galanga Swartzii. *Planta perennis Indiae orientalis et Chinae.*

Radix nodosa, teres, dura, crassitie digiti, extus e fusco rufa, intus rubicunda, saporis acris amaricantis, odoris aromatici.

Radix Gentianae rubrae. *Korzeń goryczki.*

Gentiana lutea. Planta perennis alpina.

Radix crassitie pollicis et quod excurrit, extus e rubro fusca, intus aurantiaca, saporis intense amari.

Radix Graminis s. Graminis albi. *Korzeń perzu białego.*

Triticum repens. Gramen perenne, agros obsidens.

Radix tenuis, repens, articulata, alba, succo dulci repleta.

Radix Helenii s. Enulae. *Korzeń omanowy.*

Inula Helenium. Planta perennis montana Poloniae, Germaniae et Helvetiae.

Radix carnosa, mucilaginea, extus fusca, intus alba, saporis ex acri amaricantis subnauseosi, odoris subaromatici.

Radix Hellebori albi. *Biała ciemierzyca.*

Veratrum album. Planta perennis montana Germaniae meridionalis.

Radix conico - cylindrica, extus cinerea, intus albida, saporis acerrimi urentis, trita sternutationem vehementer excitans.

Radix Hellebori nigri. *Czarna ciemierzyca.*

Helleborus niger. Planta perennis alpina.

Radix fibrosa, capite subrotundo inerte,

fibrillis crassioribus extus subnigris, intus albidis, saporis acris, subamari et nauseosi.

Radix Jalappae. *Korzeń ialapy.*

Convolvulus Jalappa. Planta perennis mexicana.

Radices e fusco griseae, ponderosae, compactae, rugosae, pyriformes, vel integrae vel in taleolas dissectae, compositae e virgis concentricis, resinosis, nigricantibus, textu celluloso subfusco distinctis, sapore et odore acri nauseoso.

Radix Ipecacuanhae. *Korzeń ipekakuany.*

Cephaëlis Ipecacuanha. Planta perennis Brasiliae.

Radix flexuosa, tenuis, annulis eminentibus inaequalibus numerosis. Constat ex epidermide cinerea, et cortice albicante, fragili, amaro-acri et nauseoso, atque ex parte interiori lignea, subflavescente, insipida.

Radix Iridis florentinae. *Korzeń fiołkowy.*

Iris florentina. Planta perennis Italiae.

Radix nodosa, ponderosa, compacta, crassitie pollicis, post resectum corticem alba, punctis subfuscis notata, odore violaceo, sapore amaricante subacri.

Radix Lapathi acuti. *Korzeń kobylakowy.*

Rumex acutus. Planta perennis Poloniae, ad fossas magno numero.

Radix ramosa, superne crassitie pollicari, extus fusca, intus flavescens, saporis amaro-acris et subadstringentis.

Radix Levistici. *Korzeń lubczykowy, łakotnego ziela.*

Ligusticum Levisticum. Planta perennis alpina, in hortis medicis culta.

Radix fibrosa, carnosa, extus lutescens, intus albida, saporis atque odoris acris, aromatici, subnauseosi.

Radix Liquiritiae. *Korzeń lukrecyowy czyli słodki.*

Glycyrrhiza glabra. Planta perennis Europae meridionalis.

Glycyrrhiza echinata. Planta perennis Russiae meridionalis.

Radix praelonga, cylindrica, lignosa, crassitie pollicis, sapore dulci. Decorticata flavescens, alteri a Glycyrrhiza glabra oriundae, cortice cinereo rugoso instructae, longe praeferenda.

Radix Ononidis. *Korzeń lisiego ogona, wilżyny.*

Ononis spinosa. Planta perennis, in arvis et ad vias frequens.

Radix longa, crassitie calami, sapore subacri.

Radix Paeoniae. *Korzeń piwoniowy.*

Paeonia officinalis. Planta perennis alpina.

Radix tuberosa, tuberibus subrotundis, crassitie pollicis, extus e rubro fusca, intus albida, sapore subamaro, subdulci mixto.

Radix Pimpinellae albae. *Korzeń biedrzeńcowy.*

Pimpinella Saxifraga. Planta perennis in locis arenosis Poloniae.

Radix fibrosa, capite oblongo, crassitie digiti, extus subfusca, intus albida, saporis acris pungentis.

Radix Polygalae amarae. *Korzeń indyczki, koniczéy wyczki.*

Polygala amara. Planta perennis montana Hungariae et Galliae meridionalis.

Radix lignea, fibrillis tenuibus subluteis, intus albidis, saporis e subamaro subdulcis. Perperam radix Polygalae vulgaris, fere insipida, passim substituitur.

Radix Polypodii. *Korzeń paprotki.*

Polypodium vulgare. Filix in silvis umbrosis Poloniae frequens.

Radix dentato-articulata, tenax, e rufo fusca, intus e luteo viridescens, saporis dulcis nauseosi, subadstringentis.

Radix Ptarmicae. *Korzeń kichawcowy.*

Achillea Ptarmica. Planta perennis.

Radix cylindrica, rugosa, gracilis, extus subfusca, intus albida, fibrillis rarioribus obsita, saporis peracris urentis, odoris plane expers.

Substituitur plerumque Radici Anthemidis Pyrethri Linn. in officinis nostris raro occurrenti.

Radix Rhei. *Korzeń rabarbarowy.*

Species Rhei, nondum certo cognita. *Planta perennis Chinensis.*

Radix ex Bucharia Chinae Provincia allata, extus, resecto cortice, ex luteo aut croceo rubens, intus iisdem coloribus, albido variegata, salivam flavedine tingens, saporis et odoris specifici, nauseosi.

Radix Rubiae. *Korzeń marzany, rety.*

Rubia tinctorum. Planta perennis Europae mediae, frequenter culta.

Radix tenuis, repens, e fusco rubra, tinctoria, saporis adstringentis, subamari.

Radix Salep. *Korzeń Salep.*

Orchides variae, imprimis *Orchis Morio, O. militaris*, et *O. mascula. Plantae perennes pratenses.*

Radices ovato-oblongae, tuberosae, post praeparationem subdiaphanae, ponderosae, e subfusco cinereae, e toto mucilagineae. Praestant e China, Syria et Persia allatae.

Radix Saponariae. *Korzeń mydelniku.*

Saponaria officinalis. Planta perennis Poloniae.

Radix fibrosa, submucilaginea, extus rubens, intus flavescens, lignea, saporis subdulcis, deinde amaricantis, subacris. Cum insipida Lichnitis dioicae radice, ne eam confundas.

Radix Sarsaparillae. *Sasaparyla.*

Smilax syphilitica Humboldt. *Frutex in regionibus Orinoco fluvio vicinis Americes meridionalis frequens.*

Radix repens, flexuosa, fragilis, farinacea, crassitie calami scriptorii, subrugosa, extus fusca, intus albida, saporis submucilaginei.

Radix Scillae. *Korzeń cébuli morskiéy.*

Scilla maritima. Planta perennis, cujus copia est in oris mediterranei maris.

Bulbus praegrandis, ponderosus, epidermide e fusco rubente tunicatus. Squamae albidae recentes succo mucilagineo peracri turgent, leni calore exsiccatae saporem peramarum edunt.

Radix Senegae. *Korzeń indyczki wirginiańskiéy.*

Polygala Senega. Planta perennis Virginiae et Pensylvaniae.

Radix superne nodosa, inferne in ramos incurvatos desinens, extus e cinereo lutescens, intus alba, saporis guttur vellicantis.

Radix Serpentariae virginianae. *Korzeń wężowniku wirginiańskiego.*

Aristolochia Serpentaria. Planta perennis Virginiae et Carolinae.

Radix fibrosa, e viridi lutescens, fibris tenuissimis inter se tricatis, saporis aromatici, odoris fragrantis camphoracei.

Radix Taraxaci. *Korzeń mléczu świniego.*

Leontodon Taraxacum.

Radix fibrosa, extus fusca, intus alba, saporis e dulci amaricantis.

Radix Tormentillae. *Korzeń kurzego ziela, pępawy.*

Tormentilla erecta. Planta perennis Poloniae.

Radix nodosa, dura, fibrillis numerosis obsessa, extus e rubro fusca, intus dilute rosea, inodora, saporis peradstringentis.

Radix Valerianae minoris. *Korzeń koziołkowy, kozłkowy.*

Valeriana officinalis. Planta perennis Poloniae.

Radix fibrosa, capitulo oblongo quodammodo truncato, fibris subfuscis, tenuibus, hirtis, tenacibus, saporis amaro-acris, odoris gravis, subnauseosi.

Radix Zedoariae. *Korzeń cytwarowy.*

Amomum Zedoaria Bergii. *Planta perennis Indiae orientalis.*

Radix tuberosa, ponderosa, extus cinerea, intus subfusca, saporis amaro-aromatici, odoris fragrantis subcamphoracei.

Radix Zingiberis albi. *Imbiér.*

Amomum Zingiber. Planta perennis Indiae orientalis.

Radix tuberosa, nodosa, articulata, compressa, rugosa, ponderosa, extus ex albo

cinerea, intus alba, saporis peracris, odoris aromatici.

Resina Guajaci nativa. *Żywica gwaiakowa.*

Guajacum officinale.

Resina e fusco viridescens, subdiaphana, friabilis, saporis dulcamari acris, prunis injecta odorem spargens haud ingratum. Genuina cum Gummi Mimosae et aqua trita, caesio colore tingitur.

Resina Pini s. communis. *Żywica sosnowa.*

Pinus silvestris et *Pinus Abies.*

Resina aurantiaca, e truncis incisis exsudans, dein indurata et purificata.

Saccharum album. *Cukier.*

Saccharum officinarum. Planta arundinacea palustris Indiae orientalis, nunc ubique inter tropicos culta.

Succus principio proprio dulcissimo dives, a mucoso depuratione separatus et in formam concretam redactus.

Saccharum Lactis. *Cukier mléczny.*

Bos Taurus.

Sal essentiale Seri Lactis dulcis, aegre solubile, prae ceteris in Helvetia paratum.

Saccharum Saturni. *Cukier ołowiany, Przyoccian ołowiu nieczysty.*

Sal impurum venale, ex oxydo plumbi e acido acetico praedominante constans.

Sal amarum. *Sól gorzka.*

Sal maxima parte e Magnesia sulphuri constans, purissimum largitur aqua Sai schützensis, vilius ex ultimo salis marii lixivio paratur. Ex solutione aquosa adf sus Liquor Kali carbonici insignem copiai Magnesiae carbonicae praecipitet.

Sal Acetosellae s. Oxaliun *Sól sczawikowa.*

Oxalis Acetosella, O. corniculata, O. Acetosa.

Kali oxalicum acidulum e succo express ope crystallisationis collectum. Aëri exp situm in pulverem ne dehiscat, a Bary muriatica praecipitatum in acido nitrico s lubile sit.

Sal ammoniacum. *Salmiak.*

Sal ex Ammonia et Acido muriatico co stans. In Aegypto e fuligine stercorum ai malium exustorum sublimatur; in variis E ropae regionibus connubio artificiali partiu constituentium diverse paratur. Bonae n tae sal nec aëre humescat, nec solutum

Baryta muriatica turbidum reddatur, ignique expositum in integrum avolet.

Sal culinare s. Natrum muriaticum. *Sól kuchenna.*

Sal e Natro et Acido muriatico constans, e fodinis salinariis Wieliciae et Bochniae depromptum, apud nos excellit.

Sagapenum. *Sagapen.*

Ferula Persica? Planta perennis Persiae.

Gummi-resina tenax, pinguis, fusca, granulis albis nitentibus subpellucidis mixta, saporis amaro-acris, odoris suballiacei.

Sanguis Draconis. *Smocza krew.*

E variis arboribus Indiae orientalis, praecipue e Calamo Dracone Willdenowii.

Massa resinosa, obscuro-rubra, friabilis, saporis adstringentis, e fructibus exsudans, iisque superinducta indurescens, quae dein calore emollitur, et in globulos formatur. Aliae species Sanguinis Draconis e sauciatis truncis *Pterocarpi Santalini, Dracaenae Draconis* e. s. p. colliguntur.

Species vero Sanguinis Draconis, in Spiritu Vini ex toto non solubiles, variisque quisquiliis et rudimentis fructuum inquinatae, rejiciendae sunt.

Sapo Hispanicus albus. *Mydło hiszpańskie.*

Sapo domesticus nostras. *Mydło domowe.*

Sapo hispanicus paratur coquendo oleum Olivarum cum Lixivio Natri caustici; Sapo domesticus paratur, coquendo sevum cum Lixivio Kali caustici, et addendo sub finem Natrum muriaticum. Unus et alter externo solum usui inserviunt, dum ab opificibus non satis puri parari soleant.

Scammonium Halepense. *Skammonia, Sok socznicowy.*

Convolvulus Scammonia. Planta perennis orientalis. In Syria potissimum ejus frequentia est.

Succus gummeo-resinosus, concretus, cinereus, levis, friabilis, in fractura nitens, madefactus lactescens, odoris nauseosi, saporis acris urentis.

Semen Amomi. *Angielskie ziele.*

Myrtus Pimenta. Arbor in India occidentali frequens.

Baccae immaturae, globosae, aromaticae, odoris et saporis caryophyllacei, post exsiccationem fuscae, pericarpiis rugosis cinctae.

Semen Anisi stellati. *Badyan, Anyż gwiazdkowy.*

Illicii species, Illicio anisato perquam similis, in insulis Philippinis crescens.

Pericarpia stellata, coriacea, fusca, seminibus ovatis nitidis repleta, odoris aromatici grati, saporis subdulcis.

Semen Anisi vulgaris. *Anyż.*

Pimpinella Anisum. Planta annua orientalis, in Europa culta.

Semina rotunda, striata, subviridula, saporis subdulcis aromatici.

Semen Cannabis. *Siemię konopne.*

Cannabis sativa. Planta annua Europae borealis.

Semina rotunda, glabra, oleoso-mucilaginea.

Semen Carvi. *Karolek.*

Carum Carvi. Planta perennis pratensis Poloniae.

Semina aromatica, parva, oblonga, striata, e fusco subincana, odoris fragrantis.

Semen Cinae s. Santonici. *Cytwarowe nasienie.*

Artemisia judaica. Fruticulus in Syria et Palaestina frequens.

Semina exigua, oblonga, e flavo viridia,

saporis amaro-acris, odoris aromatici subnauseosi.

Semen Coriandri. *Kolender, Koryandr.*

Coriandrum sativum. Planta annua Europae meridionalis, apud nos culta.

Semina globosa, sublutea, saporis et odoris aromatici non ingrati.

Semen Cumini. *Kminek.*

Cuminum Cyminum. Planta annua orientalis, in Europa culta.

Semina oblonga, striata, e flavo spadicea, saporis et odoris aromatici subnauseosi.

Semen Cydoniorum. *Pigwowe ziarnka.*

Cydonia vulgaris. Arbor cretensis, in hortis et vinetis culta.

Semina oblongo-acuta, nitida, fusca, multa mucilagine cincta.

Semen Foeniculi. *Nasienie kopru włoskiego.*

Anethum Foeniculum.

Semina oblonga, striata, e cinereo pallida, odoris subaromatici grati, saporis subdulcis.

Semen Foeni Graeci. *Ziarna fengreku.*

Trigonella Foenum Graecum. Planta annua Europae meridionalis.

Semina subquadrangularia, lutea, dura, mucilaginea, odoris nauseosi.

Semen Hordei excorticatum. *Kasza perłowa.*

Hordeum vulgare et *Hordeum hexastichon.*

Semen Lini. *Nasienie lub siemię lniane.*

Linum usitatissimum. Planta annua sativa Europae borealis.

Semina ovata, compressa, glaberrima, nitentia, fusca, oleoso-mucilaginea.

Semen Lycopodii. *Proszek kołtunowy.*

Lycopodium clavatum. Muscus in silvis Poloniae frequens.

Pulvis nativus subtilissimus, aquam respuens, flammae injectus fulgurans, loco sicco adservandus.

Semen Papaveris albi. *Mak biały.*

Papaver somniferum, Var. *seminibus albis.*

Semina globosa, minima, alba, saporis oleosi dulcis.

Semen Petroselini. *Nasienie pietruszki.*

Apium Petroselinum. Herba biennis Sardiniae, nobis hortensis.

Semina viridia, oblonga, striata, parva, odoris et saporis ex acri aromatici.

Semen Phellandrii s. Foeniculi aquatici. *Koper wodny.*

Phellandrium aquaticum. Planta perennis palustris Poloniae.

Semina ovato-oblonga, striata, e viridi subfusca, graveolentia, subnauseosa.

Semen Sabadilli. *Nasienie Sabatyli.*

Veratrum Sabadilla Retzii. *Planta perennis Chinensis.*

Semina oblongo-acuta, nigra, pericarpio membranaceo fusco tecta, saporis acerrimi nauseam moventis, odoris nullius.

Semen Sinapeos. *Gorczyca czarna.*

Sinapis nigra. Planta annua sativa Poloniae.

Semina exigua, nigricantia, peracria.

Semen Erucae. *Gorczyca biała.*

Sinapis alba.

Priore minorem acredinem possidet.

Semen Stramonii. *Ziarna Tondery.*

Datura Stramonium.

Semina nigra, reniformia, subrugosa, virosa, summe narcotica.

Sevum ovillum s. vervecinum. *Łóy barani.*

Ovis Aries.

Pinguedo in capsulis adipalibus renum et in omentis contenta.

Siliqua dulcis. *Święto-Jański chléb.*

Ceratonia Siliqua. Arbor in Oriente et Europa meridionali frequens.

Siliqua coriacea, compressa, spadicea, longitudine quatuor vel quinque pollicum, pulpa dulci seminibus interiacente, repleta.

Soda s. Natrum carbonicum crudum. *Soda.*

Soda nativa, in Aegypto, Sibiria, Hungaria, in lacubus sponte exsiccatis, copiose effloreseit. Soda hispanica concrementum refert e coeruleo cinereum, durum, porosum, e combustis plantis maritimis collectum. Hodie Soda venalis plerumque e Natro sulphurico, in officinis salinariis collecto, ope ustionis cum Carbone et Calcaria ab acido sulphurico liberato, parari solet. Depuratione Natrum carbonicum largitur.

Spathum ponderosum. *Spat ciężki.*

Baryta sulphurica in metallifodinis Hercyniae, Saxoniae aliisque obvia, saepius Ferro et Cupro, rarius Plumbo et Arsenico, nec non Argilla Strontianaque quadantenus inquinata. Sit alba et lamellosa.

Spiritus. *Wyskok.*

Liquor fermentatione vinosa cerealium et destillatione subsequa collectus. *Spiritus frumenti*; e succo uvarum, *Spiritus vini gallicus*; e succo Arundinis sacchariferae, *Rum* s. *Taffia* vocatur.

Spongia marina. *Gąbka.*

Spongia officinalis. Zoophyton maris mediterranei et maris rubri.

Spongia sublutescens, levis, mollis, foraminibus exiguis pervia.

Stannum. *Cyna.*

Metallum album, molle, ductile, cum acido nitrico oxydum album valde refractarium constituens.

Stipites s. Caules Dulcamarae. *Glistnik, wodne psinki.*

Solanum Dulcamara. Frutex in silvaticis paludosis Poloniae frequens.

Rami biennes vel triennes, cortice tecti

e cinereo subfusco, saporis e dulci amaro-acris, odoris subnarcotici.

Strobuli Lupuli. *Chmiel.*

Humulus Lupulus. Planta dioica perennis Poloniae.

Amenta plantae foemineae matura, saporis amari non ingrati, odoris aromatici, subnarcotici.

Styrax liquidus. *Storax rzadki.*

Altingia excelsa Noronnae. *Arbor Cochinchinae et Javae.*

Balsamum nativum, spissum, e glauco viridescens, acre, aromaticum.

Succinum. *Bursztyn.*

Bitumen solidum, pellucidum, fragile, citrinum aut flavum, carbonibus impositum, gratum odorem specificum spargens, in destillatione acidum concretum proprium exhibens. Colligitur maxima ex parte in oris Baltici maris, inprimis ubi Borussiae littora et Pomeraniae adluit.

Succus Liquiritiae. *Sok lukrecyowy.*

Glycyrrhiza glabra et *G. echinata.*

Extractum e fusco nigrum, e radicibus recentibus coctione in aqua paratum et ad siccum fere condensatum; saporis dulcis subacris, in aqua solubile. Ex Hispania et

Sicilia, in massis foliis Lauri obvolutis, ad nos venit. Rejiciatur cupro inquinatum.

Sulphur. *Siarka.*

Corpus solidum, friabile, colore citrino, quod, comburendo Oxygenio nuptum, acidum sistit sulphuricum. Occurrit nativum, maxima autem parte e mineris ferri sulphurati intenso igne expulsum acquiritur, ejusque sublimatum, nomine *Florum Sulphuris* insignitur.

Tamarindi s. Fructus Tamarindorum. *Kwaśne daktyle.*

Tamarindus indica. Arbor Arabiae et Indiae orientalis.

Pulpa e fusco nigra, seminibus siliquarum mixta, filamentis lignosis pertexta, saporis acidi grati. Cupro vel ferro inquinata, rejicienda est.

Tartarus. *Kamień winny.*

Sal nativum succi baccarum Vitis viniferae, instar crustae crystallinae parietibus doliorum vinariorum adhaerens, in officinis Galliae depuratus sub nomine *Crystallorum Tartari* in usum venit Constat acido proprio, Kali ex parte saturato.

Terebinthina laricina, s. veneta. *Terpentyna modrzewowa.*

Pinus Larix. Arbor Europae meridionalis nec non hinc inde in Polonia obvia.

Resina e trunco sauciato effluens, subliquida, tenax, pellucida, flavescens, odoris fragrantis haud ingrati, saporis amaro-acris, oleo aethereo abundans.

Terebinthinam communem vilioris notae Pinus silvestris et P. picea, arbores Europae borealis, frequentissime largiuntur.

Turiones Pini. *Pączki sosnowe.*

Pinus silvestris.

Gemmae foliorum nondum exclusorum. Longitudinem duorum pollicum ne excedant.

Vanilla. *Wanilia.*

Epidendron Vanilla L. s. *Vanilla aromatica* Swartzii. *Planta parasitica scandens novae Hispaniae.*

Siliquae compressae, longitudinis sex fere pollicum, crassitie calami scriptorii, coloris atro-fusci, medulla pingui rufescente fartae, odoris balsamici benzoini, saporis aromatici grati.

Vinum. *Wino.*

Vitis vinifera. Frutex in vineis cultus.

Succus baccarum post fermentationem vinosam rite peractam, satis diu in doliis asservatus.

In usum pharmaceuticum maxime veniunt:

Vinum Gallicum album, Rhenanum et Vinum Malacense.

Viscum album.

Viscum album. Fruticulus parasiticus Quercus, Fagi, Tiliae, Pini, aliarumque arborum.

Ramuli juniores, una cum foliis ovatis coriaceis, magna glutinis quantitate repleti.

Zincum. *Cynk.*

Metallum ex albido coerulescens, rigidum, tenax, calefactum autem malleo obediens. Ignitum, sub aëris accessu flammam concipiens, abit in Oxydum album spongiosum, partim sub flocculorum levissimorum forma avolans.

PRAEPARATA

ET

COMPOSITA.

Acetum aromaticum.

R. Herbae Absinthii,
— Roris marini,
— Salviae,
— Menthae piperitae, singularum Uncias duas,
Caryophyllorum,
Radicis Zedoariae, singulorum Unciam dimidiam,
Aceti crudi Libras octo,
Spiritus Roris marini Uncias quatuor.

Post sufficientem macerationem blandam in vase vitreo exprime et sapone, quo faeces subsideant, liquorem limpidum separa.

Acetum concentratum.

R. Kali carbonici Uncias sedecim,
Aceti crudi, quantum sufficit ad perfectam saturationem.

Liquor filtratus evaporet ad Uncias quadraginta, cui in retortam vitream immisso adde:

Mangani oxydati nativi subtilissime triti Uncias duas,
Acidi sulphurici concentrati Libram unam,
Aquae fontanae Unciis octo dilutam. Retortae collum ablue cum

Aquae destillatae Unciis quatuor.

Tum adaptato recipiente et juncturis munitis fiat destillatio ad siccum.

Acetum destillatum.

Acetum crudum, addita sedecima parte Pulveris carbonum, destillet e retorta vitrea, quamdiu prodit limpidum et ab empyreumate liberum.

Acetum Rosarum.

R. Florum Rosarum rubrarum Uncias tres,
Aceti crudi Libras duas.

Post macerationem frigidam in lagena vitrea, cola.

Eodem modo paretur

Acetum Convallariae majalis.

Acetum Rubi Idaei.

R. Fructuum recentium Rubi Idaei Libram unam,
Aceti crudi Libras duas.

Seponantur in lagena vitrea per mensem, deinde cola et serva.

Acetum saturninum.

(*Liquor Acetatis Plumbi*).

R. Minii Uncias quatuor,
Aceti destillati Libras tres.

Coque in vase fictili vitreato continuo agitando, donec liquor filtratus colorem coeruleum chartae heliotropio tinctae in rubrum non commutet, sitque talis pon-

deris specifici, ut ejus Libra dimidia impleat vas Aquae destillatae nonnisi Uncias quinque continere capax.

Acetum scillinum.

R. Radicum Scillae siccatarum Uncias duas.
Minutim scissis adfundantur
Aceti crudi Librae duae,
Spiritus Vini rectificati Unciae tres.
Macerentur leni calore. Liquor leviter expressus subsidendo clarificetur.

Acidum aceticum.

R. Kali sulphurici pulverati Libram unam.
Acidi sulphurici concentrati Uncias tres,
Aquae communis Libra una cum dimidia
dilutas. Mixta evaporent ad siccum. Admisce
Natri acetici Uncias novem,
Mangani oxydati subtilissime triti Unciam dimidiam.
Immitte in retortam vitream, et applicato vase recipiente, juncturis optime clausis, ex arena calore moderato destillet liquor, quem super
Natri acetici Unciis tribus
lege artis rectifica et in vase probe clauso serva.

Acidum benzoicum.

R. Calcariae ustae Uncias quatuor,
conspergantur

Aquae communis Unciis duabus,
ut in pulverem fatiscant, quem refrigeratum misce exacte cum
Benzoës pulveratae Libra una.
Adfusis
Aquae communis Libris sex,
coque in vase stanneo agitando per horam dimidiam et cola. Residuum in colo pulverem binis repetitis vicibus iterum coque per dimidiam horam cum
Aquae communis Libris sex.
Liquor terna decoctione obtentus et mixtus per subsidentiam decantetur ac leni igne ad Libram unam evaporet; cui instilla
Acidi muriatici quantum sufficit,
ut omne Acidum benzoicum praecipitetur. Praecipitatum charta bibula collectum in aqua fervente solve, solutum filtra, et ad crystallisandum vase tecto sepone. Fluidum crystallis supernatans evapora, crystallos collectas Aqua frigida ablue, leniter sicca ac serva.

Acidum muriaticum.

R. Natri muriatici Libras sex.
In retortam vitream capacem immissis adfunde
Acidi sulphurici concentrati Libras quatuor,
caute antea dilutas
Aquae communis Libris duabus.

Adaptato vase recipiente amplo, cui insint

Aquae destillatae Librae quatuor,

et juncturis clausis, fiat destillatio igne primum remissiore, sub finem aucto, ad siccum. Liquidum elicitum supra

Natri muriatici Libram dimidiam

rectifica.

Nota. *Pondus specificum hujus Acidi muriatici est = 1,130: 1,000 Aquae.*

Acidum nitricum.

R. Kali nitrici pulverati Libras octo.

In retortam vitream satis capacem immissis adfunde

Acidi sulphurici concentrati Libras quatuor cum dimidia,

dilutas antea caute

Aquae communis Libris tribus.

Applicetur excipulum amplum, cui

Aquae destillatae Librae quinque

antea fuerant immissae. Fiat destillatio ex arena, igne primum remissiori, sub finem pedetentim aucto, ad siccum. Acido elicito instilla

Argentum nitricum aqua solutum,

quamdiu inde fit turbidum. Seponatur per aliquot dies. Tum liquorem limpidum decanta, et e retorta, fere ad siccum destillando, rectifica.

Nota. *Pondus specificum Acidi nitrici hoc modo obtenti est = 1,250: 1,000 Aquae.*

Acidum phosphoricum ex ossibus.
(*Superphosphas Calcis.*)

R. Cornu Cervi, aut aliorum Ossium, ad albedinem ustorum, Libras quinque,
subtilissime pulveratis adde
Acidi sulphurici concentrati Libras tres,
Aquae communis Libris triginta dilutas. Ebulliant leniter per horam in lebete stanneo, sub continua agitatione. Liquorem ope preli separatum et colatum ad mellis spissitudinem evapora.

Acidum phosphoricum.

R. Acidi nitrici quantum placet.
In cucurbita vitrea ad lenem ebullitionem usque calefacto, immitte sensim ac caute
Phosphori
frustula minora, granum unum alterumve non excedentia, quantum acidum nitricum oxydatione consumere valet. Liquidum restans ad spissitudinem oleosam evapora: tunc cum tali Aquae quantitate dilue, ut pondus totius decuplo Phosphori consumpti respondeat.

Acidum succinicum.

R. Succini grossiuscule contusi quantum vis.
Fiat destillatio ex retorta vitrea satis ampla, igne primum lento et successive aucto. Prodibunt una cum Oleo, primum

flavo, dein rubro, Liquor acidulus et Acidum concretum, quibus addatur Aquae fervidae sufficiens quantitas, ad Acidum solvendum. Liquor ab oleo separatus leniter evaporet, filtretur et ad crystallisandum seponatur. Crystalli collectae solutione in Aqua fervente et crystallisatione depurentur.

Acidum sulphuricum concentratum.

Oleum Vitrioli, per rectificationem, e retorta vitrea, arenae balneo immersa, prudenter ac artis lege institutam depurandum est.

Nota. *Pondus specificum sit* = 1,850: 1,000 *Aquae.*

Acidum sulphuricum dilutum.

R. Acidi sulphurici concentrati Partem unam.

Instillando misce cum

Aquae destillatae Partibus quinque.

Acidum tartaricum.

R. Tartari depurati pulverati quantum placet,

Aquae communis Quintuplum.

Ebulliant in lebete stanneo. Per vices immitte

Cretae purae,

quantum requiritur ad Acidi saturitatem. Vas ab igne remotum seponatur, ut Calcaria tartarica inde nata quiescat. Liquori

decantato, Kali tartaricum continenti, admisce

Calcariae muriaticae

in aqua destillata solutae, quantum sufficit ad illius decompositionem. Calcariam tartaricam nunc adhuc obtentam, priori adde, Aqua frigida ablue, et sicca. Partibus hujus sedecim, Quintuplo Aquae calidae dilutis, adde

Acidi sulphurici concentrati Partes septem,

Aquae calidae duplo

antea dilutas.

Spathula lignea saepius agitando digerantur per horas viginti quatuor. Decantato liquore acido, Calcariam sulphuricam residuam aqua ablue, donec plane insipida fiat. Liquores acidi commixti et colati evaporent in vase vitreo aut porcellaneo, ad syrupi tenuioris spissitudinem. Liquor denuo colatus lenta evaporatione in crystallos redigatur, quae siccatae serventur.

Adeps suilla depurata.

Adeps suilla in frustula concisa et aqua perfecte abluta, liquetur leni igne et expressa servetur.

Eodem modo

Sevum ovillum

depuretur.

Aether aceticus.

R. Natri acetici Libram unam.

In retortam vitream immissae, adfunde Acidi sulphurici concentrati Libram dimidiam,

caute cum

Spiritus Vini rectificatissimi Unciis decem

mixtam. Vasorum juncturis probe clausis, fiat destillatio leni igne. Liquori elicito adde

Aquae communis Partem quartam,
Liquoris Kali caustici, quantum requiritur ad promovendam separationem Aetheris, quem blando calore rectifica.

Aether sulphuricus.

R. Spiritus Vini rectificatissimi Libras tres.

Cucurbitae immissis successive et caute instilla:

Acidi sulphurici Uncias triginta novem.

Adaptetur alembicus cum excipulo satis capaci et, juncturis bene clausis, instituatur destillatio ex balneo arenae, calore sensim ad lenem ebullitionem usque aucto. Ubi primum vapores albidi in collo cucurbitae comparent, destillationem inhibe. Residuo refrigerato adfunde

Spiritus Vini rectificatissimi Libram unam cum dimidia.

Fiat destillatio uti antea, haecque operatio cum aequali Spiritus Vini quantitate, bis vel ter deinde repeti poterit.

Liquoris aetherei, destillationibus repetitis obtenti, partibus duodecim, addantur

Aquae communis Partes tres,
Liquoris Kali caustici Pars una.

Aether supernatans a reliquo fluido caute separatus et calore blandissimo, quamdiu purissimus et fragrans stillat, rectificetur.

Alumen ustum.

Alumen crudum uratur in crucibulo amplo, aut in olla fictili non vitreata satis capaci, donec penitus in massam levem abeat.

Ammonium carbonicum.

(*Subcarbonas Ammoniae.*)

R. Ammonii muriatici pulverati et siccati Partes duas,
Cretae pulveratae et siccatae Partes tres.

Mixta, e retorta collo amplo instructa, adaptato recipiente et juncturis probe clausis, igne ab initio leni, sensimque aucto sublima, et Sal obtentum vase bene obturando serva.

Ammonium carbonicum pyro-oleosum.

(*Subcarbonas Ammoniae pyro-oleosus.*)

Segmenta Ossium a pinguedine purgatorum, in retortam tubulatam ferream aut figulinam immissa, adaptato excipulo am-

plo, tubo intermedio et foramine parvo elasticis vaporibus exitum permittente, instructo, igne aperto gradatim aucto ure. Sal a Liquore ammoniali et Oleo foetido una productis separa, tunc cum dupla quantitate Cretae siccae pulveratae misce, e retorta vitrea balnei arenae calore sublima, et in vase vitreo epistomio munito, serva.

Ammonium muriaticum depuratum.

(*Murias Ammoniae purus.*)

Sal Ammoniacum solvatur in aquae calidae quantitate sufficiente, solutum filtretur et in vase vitreo aut porcellaneo, modico igne exsiccetur.

Ammonium muriaticum martiatum.

(*Murias Ammoniae martiatus.*)

℞. Ferri puri limati Unciam unam.

Solve in quantitate sufficiente Liquoris conflati mixtione

Acidi muriatici Partium duarum,

— nitrici Partis unius.

Solutioni admisce

Ammonii muriatici Uncias quindecim,

eamque nunc evapora ad siccum. Massam salinam hac evaporatione paratam, retortae collo amplo instructae immissam, sublima in integrum; sublimatum in pulverem homogeneum converte, eumque

in vase calefacto epistomio operiendo reconde.

Aqua aromatica.

R. Herbae Salviae Uncias octo,
— Roris marini,
— Menthae piperitae,
Florum Lavendulae, singulorum Uncias quatuor,
Seminis Foeniculi,
Cinnamomi veri, singulorum Uncias duas.
Incisis et contusis adfundantur
Spiritus Vini rectificati Librae sex,
Aquae communis Librae viginti.
Macerentur per horas viginti quatuor et destillando eliciantur Librae duodecim.

Aqua Calcariae.

R. Calcariae purae recenter ustae, Libram unam.
Sensim adfunde
Aquae communis Libras triginta.
Ebullitione peracta, aqua supernatans decantetur, et in lagenis probe obturandis servetur.

Aqua Cerasorum.

R. Nucleorum Cerasorum contusorum Libras tres,
Aquae communis quantum satis.
Destillando elice Libras viginti, et in lagenis epistomio atque colophonio liquato arcendis serva.

Aqua Chamomillae.

R. Florum Chamomillae vulgaris siccatorum Libras duas,
Aquae communis Libras triginta.
Destillent Librae viginti.

Eodem modo paretur

Aqua Florum Sambuci.

Aqua Cinnamomi simplex.

R. Cinnamomi veri contusi Libram unam,
Aquae communis quantum sufficit.
Destillando eliciantur Librae novem.

Aqua Cinnamomi vinosa.

R. Cinnamomi veri contusi Libram unam,
Spiritus Vini rectificati Libras duas,
Aquae communis quantum satis.
Destillent inde Librae novem.

Aqua destillata simplex.

Destillent Aquae communis duae tertiae partes, prima stillantis aquae rejecta.

Aqua Florum Aurantii.

R. Florum Aurantii recentium Libras duas,
Kali carbonici Unciam unam,
Aquae communis quantum satis.
Abstrahantur inde Librae decem.

Aqua Foeniculi.

R. Seminis Foeniculi contusi Libram unam,
Aquae communis quantum satis.

Destillando eliciantur Librae viginti, Oleum aethereum Aquae refrigeratae supernatans auferatur.

Aqua Hyssopi.

R. Herbae Hyssopi siccatae Libras duas,
Aquae communis quantum satis.
Destillando elice Libras viginti.

Eodem modo parentur:

Aqua Melissae;
— Menthae crispae;
— Rutae;
— Salviae;
— Valerianae *e radicibus.*

Aqua Lauro-Cerasi.

R. Foliorum recentium Lauro-Cerasi Libras duas,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duas,
Aquae communis Libras sex.
E retorta vitrea destillando elice Libras tres et sollicite serva.

Eodem modo paretur

Aqua Pruni Padi *e Cortice recenti.*

Aqua Menthae piperitae.

R. Herbae Menthae piperitae siccatae Libras duas,
Aquae communis quantum sufficit.
Destillent Librae quatuordecim.

Aqua Menthae piperitae vinosa.

R. Herbae Menthae piperitae siccatae Libram unam,
Spiritus Vini rectificati Libram unam cum dimidia,
Aquae communis quantum satis.
Destillando eliciantur Librae sex.

Aqua oxymuriatica.

(*Liquor Acidi muriatici oxygenati.*)

R. Natri muriatici Uncias octo,
Mangani oxydati nigri Uncias tres,
In phialam tubulo incurvato instructam immissis, adfunde
Acidi sulphurici concentrati Uncias quinque,
antea caute cum
Aquae communis totidem dilutas.

Phiala bene obturata calefiat in arenae balneo. Gas oxymuriaticum prodiens, infra superficiem aquae labri hydro-pneumatici excipe lagenis Aqua destillata repletis, donec hujus pars dimidia expulsa sit. Tunc lagenas claude, easque agitando connubium liquidi aërei cum aqua promove. Aquam Acido oxymuriatico saturatam in lagenis capacitatis librae dimidiae epistomio vitreo probe claudendis serva.

Aqua oxymuriatica ope apparatus sic dicti Wulfiani longe fortior obtineri potest.

Aqua Petroselini.

R. Seminis Petroselini Libram unam,

Aquae communis quantum satis.
Destillent Librae duodecim.

Aqua Rosarum.

R. Florum Rosarum incarnatarum recentium Libras quatuor,
Aquae communis quantum satis.
Destillando elice Libras viginti.

Aqua Rubi Idaei.

R. Placentarum Fructuum Rubi Idaei maturorum, quae post expressionem succi restant Libras decem,
Aquae communis Libras triginta,
Kali carbonici Uncias duas.
Abstrahantur Librae viginti, in lagenis vitreis clausis servandae.

Aqua vulneraria vinosa.

R. Herbae recentis Salviae,
— — Absinthii,
— — Menthae piperitae,
— — Rutae,
— — Roris marini,
Florum recentium Lavandulae, singulorum Uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificati Libras octo,
Aquae communis quantum satis.
Macerentur per viginti quatuor horas, et destillent Librae octodecim.

Argentum nitricum fusum.

(*Nitras Argenti fusus.*)

R. Argenti puri quantum placet,

solve in

Acidi nitrici quantitate sufficiente.

Deinde leni calore in vase vitreo evapora ad siccum. Massam in vase argenteo, aut porcellaneo idoneo, calore leni liqua, et simulac olei instar fluit, effunde in modulum ferreum calefactum, sevo illitum. Refrigeratam massam in vitro clauso serva.

Baryta muriatica.

(*Murias Barytae.*)

R. Spathi ponderosi electi et laevigati Libram unam,

Carbonis sicci Unciam unam cum dimidia.

Exacte mixta crucibulo immitte et tecta igne forti per horam integram ure, dein massam in sufficiente quantitate Aquae destillatae fervidae agitando solve, et solutioni adhucdum calidae adfunde

Acidi muriatici quantitatem sufficientem ad perfectam sulphureti decompositionem. Liquorem filtratum ad crystallisationis momentum evapora, sepone, crystallos collectas et siccatas serva.

Bismuthum nitricum praecipitatum.

(*Subnitras Bismuthi.*)

R. Bismuthi puri Uncias duas,

Acidi nitrici Libram dimidiam vel quantum satis ad solvendum.

Bismuthum grossiuscule contusum Acido nitrico successive ingere, solutum Aquae dimidio dilue, filtra, et in vas vitreum Aquae limpidae circiter Libras viginti jam continens, effunde. Praecipitatum inde natum edulcora, loco calido umbroso exsicca atque serva.

Calcaria muriatica.

(*Murias Calcis.*)

R. Testarum Ostrearum purificatarum quantum vis.

Solve in

Acidi muriatici quantitate sufficiente,

filtra, et in vase vitreo aut porcellaneo evapora. Sal siccum adhuc calens in vitreo clauso serva.

Calcaria sulphurata.

(*Sulphuretum Calcis.*)

R. Testarum Ostrearum,

Sulphuris puri, singulorum Partes aequales.

Pulverata et mixta in crucibulo tecto incandescant per horae quadrantem. Massam refrigeratam in vase vitreo clauso serva.

Calcaria sulphurato-stibiata.

(*Sulphuretum Calcis stibiatum.*)

R. Calcariae ustae cum pauxillo Aquae ferventis in pulverem redactae Uncias quinque,

Sulphuris depurati Unciam unam cum dimidia,

Sulphuris stibiati aurantiaci Unciam dimidiam.

Probe mixta in crucibulo tecto, luto argillaceo conglutinato ac bene siccato, per mediam horam incandescant. Massam refrigeratam in pulverem redige et in vase vitreo obturato serva.

Carbo purus.

Ligni Tiliae vel alius arboris frustula, urantur in retorta terrea, aut in crucibulo clauso, cujus operculum foramine parvo instructum sit, donec fumus jam non prodeat; carbonem residuum serva.

Eodem modo parandus est

Carbo Spongiae,

E Spongia marina a lapidibus mundata.

Ceratum Cetacei.

R. Cerae albae,
Sevi ovilli, singulorum Libram dimidiam,
Cetacei Uncias tres.

Leni igne liquata effunde in cistulas papyraceas.

Cereoli saturnini.

R. Cerae flavae Libram dimidiam,

Liquatis admisce assidue agitando

Aceti saturnini Drachmas duas.

Ab igne remotis immerge telas linteas tenues, e quibus lege artis fiant Cereoli, superficie laevi, et forma exacta.

Cereoli simplices.

R. Cerae flavae Libram dimidiam.

Liqua leni igne et eadem, qua supra, methodo Cereolos para.

Colocynthis praeparata.

R. Pulpae Colocynthidum sine seminibus et minutim concisae Uncias quinque,
Gummi Mimosae pulverati Unciam unam.

Cum Aquae quantitate sufficiente fiat pasta, quae exsiccata in pulverem redigatur subtilem.

Conserva Rosarum.

R. Florum Rosarum rubrarum recentium Libram unam,

Contundantur in mortario lapideo, ope pistilli lignei in pultem, admiscendo successive

Sacchari albi pulverati Libras duas.

Eodem modo para

Conservam Sabinae.

Cuprum aluminatum.

R. Cupri sulphurici,
Kali nitrici,
Aluminis crudi, singulorum Uncias duas.

Contusa liquefiant in vase terreo vitreato, calore arenae; liquefactis et ab igne remotis admisce

Camphorae tritae Drachmam unam.

Massam refrigeratam serva.

Cuprum sulphurico-ammoniatum.

(*Subsulphas Cupri ammoniati.*)

R. Cupri sulphurici pulverati Unciis duabus,

instilla

Liquoris Ammonii caustici quantum sufficit

ad perfectam praecipitati solutionem.
Liquori coloris cyanei quiete reposito caute, ut ad latera vasis defluat, superficiemque tegat, adfunde

Spiritus Vini rectificatissimi Libram unam.

Viginti quatuor horis elapsis crystallos natas separa, charta emporetica expande, tunc vase epistomio clauso serva.

Cuprum sulphuricum.

(*Sulphas Cupri.*)

R. Acidi sulphurici concentrati Partes tres,

Aquae destillatae Partem unam.

Misce et superinfunde in cucurbita

Ramentorum Cupri Parti uni.

Coque in balneo arenae usque dum Acidum sulphurosum non prodeat. Massam residuam contritam dissolve in aqua fervida, solutum filtra et ad crystallisandum sepone.

Electuarium e Senna.

(*Electuarium lenitivum.*)

R. Caricarum Uncias octo.

Coque cum

Aquae sufficiente quantitate per horam dimidiam, exprime, cola et decoctum evapora ad remanentiam Librae unius, in qua dissolve

Sacchari albi Uncias sedecim.

Dein immisce

Pulpae Tamarindorum,
— Prunorum, singularum Uncias quinque,

et denique

Foliorum Sennae pulveratorum Uncias quatuor cum dimidia,
Seminis Anisi pulverati Unciam dimidiam.

Serva.

Electuarium Theriaca.

R. Radicum Angelicae Libram dimidiam,
— Serpentariae Virginianae Uncias quatuor,
— Valerianae minoris,
— Scillae,
— Zedoariae,
Cinnamomi veri, singulorum Uncias duas,
Cardamomi minoris,
Myrrhae,
Croci,
Caryophyllorum,
Opii, singulorum Unciam unam,
Mellis albi Libras sex.

Melli addatur Opium, in Vini Malacensis quantitate sufficiente dilutum; deinde admisceantur cetera in pulverem trita.

Serva.

Nota. *Theriacae hujus Unciae singulae continent Opii grana circiter quinque.*

Elixir ammoniato-opiatum.

℞. Extracti Liquiritiae Uncias duas,
Aquae Foeniculi Libram dimidiam.
Solutis et colatis adde
Liquoris Ammonii anisati Uncias duas,
Tincturae Opii crocatae Drachmas duas.

Nota. *Uncia continet solutum ex Opii granis duobus.*

Elixir Aurantiorum compositum.

℞. Corticum Aurantiorum, a parenchymate interno mundatorum Uncias quatuor,
Fructuum Aurantiorum immaturorum,
Cinnamomi veri, singulorum Uncias duas,
Kali carbonici Unciam unam,
Vini Malacensis Libras quatuor.
Post digestionem sufficientem exprime et in colatura solve
Extracti Absinthii,
— Cascarillae,
— Gentianae,

Extracti Trifolii, singulorum Unciam unam.

Serva.

Emplastrum Ammoniaci.

R. Ammoniaci Libram dimidiam,
Galbani Uncias duas,
Cerae flavae,
Resinae Pini,
Terebinthinae, singulorum Uncias quatuor.

Cerae et Resinae liquatis et refrigeratis admisce Ammoniacum et Galbanum in Terebinthina blando calore soluta, ut fiat lege artis Emplastrum.

Emplastrum aromaticum.

R. Cerae flavae Uncias octo,
Sevi ovilli Libram dimidiam,
Colophonii Uncias quatuor.

Liquatis et semirefrigeratis immisce
Caryophyllorum pulveratorum Uncias duas,
Olei Nucis moschatae expressi Unciam unam cum dimidia,
— Menthae piperitae Drachmas duas.

Serva.

Emplastrum Cantharidum ordinarium.

R. Cerae flavae Libram unam,
Terebinthinae,

Adipis suillae depuratae, singulorum
Uncias tres.

Liquatis et semirefrigeratis immisce
Cantharidum grossiuscule tritarum Libram dimidiam,
ut fiat Emplastrum.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

(*Emplastrum Cantharidum euphorbiatum.*)

R. Cantharidum Uncias duas,
Euphorbii Unciam unam.

Pulverata misce cum
Therebinthinae,
Resinae Pini, singularum Libra dimidia,
antea leni calore liquatis, ut fiat Emplastrum.

Emplastrum Cerussae.

R. Cerussae tritae Libras novem,
Adipis suillae depuratae Libras sex.

Adipi calefactae injiciatur Cerussa. Coquantur simul sub continuata agitatione, instillando sensim modicum Aquae calidae, ne humidum deficiat, ad justam Emplastri spissitudinem. Malaxando formentur bacilla.

Emplastrum Conii.

R. Cerae flavae Libram unam,
Colophonii,
Adipis suillae depuratae, singulorum
Libram dimidiam.

Liquatis et semirefrigeratis paulatim admisce

Herbae Conii maculati pulveratae Libram unam,

ut fiat Emplastrum.

Eodem modo parantur

Emplastrum Hyoscyami,

— — Meliloti.

Emplastrum foetidum.

R. Ammoniaci Libram unam,

Asae foetidae Uncias quatuor.

Leni igne emollitis immisce

Saponis Hispanici rasi Uncias duas,

Adipis suillae depuratae Unciam unam.

Emplastrum Hydrargyri.

(*Emplastrum Lithargyri cum Hydrargyro.*)

R. Emplastri Lithargyri simplicis Libras duas,

Cerae flavae Libram dimidiam.

Liquentur leni calore, dein ab igne remotis, adde

Hydrargyri puri Uncias octo,

Terebinthinae Uncias quatuor,

antea diligenti agitatione extinctas.

Misce exacte.

Emplastrum Lithargyri compositum.

R. Emplastri Lithargyri simplicis Libras quatuor,

Cerae flavae Libram dimidiam,
Ammoniaci,
Galbani,
Terebinthinae, singulorum Uncias quatuor.

Emplastro et Cera liquatis et aliquantulum refrigeratis admisceantur Ammoniacum et Galbanum cum Terebinthina liquata.

Emplastrum Lithargyri cum Resina.

R. Emplastri Lithargyri simplicis Libras duas,
Resinae Pini Libram unam,
Terebinthinae Unciam unam.

Misce.

Emplastrum Lithargyri simplex.

R. Lithargyri in subtilissimum pulverem triti Libras sex,
Adipis suillae depuratae Libras quindecim.

Coque moderato igne, spathula semper agitando et pauxillum Aquae calidae subinde instillando, ad justam Emplastri spissitudinem.

Emplastrum opiatum.

R. Elemi,
Mastiches,
Olibani, singulorum Uncias quatuor,
Benzoës Uncias duas,
Terebinthinae Libram dimidiam.

In balneo aquae ad massam homogeneam redactis, immisce

Opii pulverati Unciam unam.

Serva.

Emplastrum saponatum.

R. Emplastri Lithargyri simplicis Libras tres,

Cerae flavae Libram dimidiam,

Saponis Hispanici Uncias tres.

Leni igne mixtis et aliquantulum refrigeratis adde

Camphorae Unciam dimidiam,

in

Olei Olivarum pauxillo

solutam.

Extractum Absinthii.

R. Herbae Absinthii Libras duas.

Concisis adfunde

Spiritus Vini rectificati Libras duas,

Aquae communis Libras novem.

Digere per horas duodecim, deinde exprime et e liquore colato Spiritum Vini blanda destillatione elice. Residuum ad Extracti spissitudinem evapora.

Eodem modo parentur.

Extractum Angelicae;

— Arnicae *e toto;*

— Calami;

— Cascarillae;

— Chamomillae vulgaris;

Extractum Colocynthidis;
— Corticum Aurantiorum;
— Helenii;
— Hellebori nigri;
— Levistici;
— Millefolii *e summitatibus;*
— Pimpinellae;
— Rhei;
— Valerianae.

Extractum s. Succus inspissatus Aconiti.

Herba Aconiti Neomontani recens, antequam effloruerit collecta, contundatur in mortario lapideo, adspergendo pauxillum Aquae et exprimatur succus, qui statim absque defaecatione in balneo aquae, continuo sub finem spathula lignea agitando, evaporet ad Extracti spissitudinem.

Pari modo paranda sunt:

Extractum Herbae Belladonnae;
— — Chelidonii majoris *e toto;*
— — Conii maculati;
— — Hyoscyami;
— Nucum Juglandis viridium.

Extractum Aloes.

R. Aloes lucidae Libram dimidiam,
In pulverem redactae adfunde
Aquae communis Libras duas.

Solve digerendo et liquorem frigefactum per subsidentiam decantatum cola, in balneo aquae ad justam spissitudinem evapora.

Eodem methodo parentur:

Extractum Myrrhae;
— Opii.

Extractum Cardui benedicti.

R. Herbae Cardui benedicti minutim concisae Libras duas,
Aquae communis frigidae Libras viginti.

Stent subinde agitatae per horas quadraginta octo. Liquor colatus post subsidentiam leni igne ad spissitudinem Extracti evaporet.

Eodem modo para:

Extractum Centaurii minoris;
— Chinae frigide paratum;
— Corticis Salicis;
— Fumariae;
— Gentianae;
— Liquiritiae;
— Quassiae;
— Trifolii aquatici.

Extractum Chinae aquosum.

Cortici Chinae pulverato, crassius tuso in vas stanneum immisso, adfunde

Aquae fervidae Octuplum.

Ebulliant leniter per horae quadrantem et liquorem exprime. Residuum ex Aquae Quadruplo iterum per quadrantem horae leniter coque. Decocta expressa evaporent caute ac leni calore ad Extracti spissitudinem.

Eodem modo parentur:

Extractum Dulcamarae *e stipitibus;*
— Ligni Campechiani;
— Marrubii.

Extractum Ferri pomatum.

R. Ferri puri limati Libram unam,
Succi Pomorum acidulorum Libras quatuor.

Digerantur saepius agitando per aliquot dies. Postea coquantur leni igne ad dimidiae partis consumtionem. Liquor per linteum colatus evaporet ad justam spissitudinem.

Extractum Graminis liquidum.

R. Radicum recentium Graminis albi Libras duodecim.

Concisas contunde in mortario ferreo, addendo

Aquae communis Libras sex.

Exprime succum, quem post unicam

ebullitionem in vase stanneo cola, et leni calore ad Mellis spissitudinem redige.

Eodem modo paretur:

Extractum Taraxaci liquidum

e radicibus recentibus, cum herba juniori, vere primo collectis.

Extractum Ligni Guajaci.

R. Ligni Guajaci rasi et grossiuscule contusi Libras sex;

Aquae communis Libras sexaginta.

Decoquantur per horam, et liquor coletur. Repetatur coctio ex Aqua recenti eodem modo bis terve. Decocta prout subsederint colata, evaporent ad Extracti spissitudinem, sub finem addendo pauxillum

Spiritus Vini rectificati,

ut fiat massa uniformis.

Extractum Rhei compositum.

R. Extracti Rhei Uncias tres,

Aloes Unciam unam.

In Spiritu Vini rectificato emollita, misce et agitando, ope balnei aquae, ad massae pilularis spissitudinem evapora.

Fel Tauri inspissatum.

Fel Tauri recens in balneo Aquae ad Extracti spissitudinem evaporet.

Ferrum oxydatum fuscum.

(*Oxydum Ferri fuscum.*)

R. Crystallorum Ferri sulphurici quantum vis.

Solve in Aqua calida, filtra, et instillando

Liquorem Kali carbonici

praecipita. Praecipitatum Aqua calida sedulo edulcora, sicca, dein in crucibulo usque ad excandescentiam ure et refrigeratum serva.

Ferrum oxydulatum nigrum.

(*Oxydum Ferri nigrum.*)

R. Ferri oxydati fusci, quantum placet.

Irrora

Olei Olivarum quantitate sufficiente, massam humidiusculam in retortam vitream immitte, igne ad excandescentiam fere aucto ure, donec fumus et gas prorumpere desierint. Residuum nigerrimi coloris tere, et in vitro probe obturando serva.

Ferrum pulveratum.

Ferrum purum lima in scobem redactum, in mortario ferreo assidue tere, et pollen subtilissimum per linteum separandum, in vitro obturato serva.

Ferrum sulphuricum crystallisatum.

R. Acidi sulphurici concentrati Libram unam.

Misce in cucurbita vitrea cum

Aquae communis Quadruplo,

successive immitte

Ferri puri limati Uncias octo.

Effervescentia cessante repone per horam supra arenam calidam, tum filtra et lege artis in crystallos redige.

Globuli Tartari martiati.

(*Globuli Tartratis Potassae martiati.*)

R. Ferri limati in pulverem redacti Partem unam,
Tartari crudi pulverati Partes quatuor.
Mixta in vase ferreo humectentur Aqua, ut fiat massa pultiformis, quam sub diu aut arenae balneo exsicca, iterum humecta et sicca, idque toties repete, donec massa quasi resinosa appareat. Formetur in globulos.

Hydrargyrum ammoniato-muriaticum.

(*Submurias Hydrargyri ammoniatus.*)

R. Hydrargyri muriatici corrosivi,
Ammonii muriatici, singulorum Uncias octo.
Solve in
Aquae destillatae fervidae Libris octo,
filtra et instilla:
Natrum carbonicum in aqua solutum, quam diu pulvis albissimus praecipitatur, quem aqua frigida ablutum, loco umbroso sicca et serva.

Hydrargyrum muriaticum corrosivum.

(*Supermurias Hydrargyri.*)

R. Hydrargyri puri Libram unam,
Acidi sulphurici concentrati Uncias viginti.

Fiat destillatio e retorta vitrea in balneo arenae ad siccitatem plenam. Massam remanentem tritam caute misce cum

Natri muriatici siccati Pari pondere.

Tum e cucurbita vitrea ad tertiam tantum partem repleta et in arena collocata, igne ab initio moderato, post expulsionem vaporis acido-muriatici primo prodeuntis, gradatim aucto, sublima. Massam sublimatam crystallinam circumspecte serva.

Hydrargyrum muriaticum mite.

(*Murias Hydrargyri mitis.*)

R. Hydrargyri muriatici corrosivi Partes quatuor.

In mortario vitreo aut lapideo caute ac Spiritus Vini aliquot guttas subinde inspergendo, pulveratis adde

Hydrargyri puri Partes tres.

Misce terendo, donec globuli Hydrargyri penitus disparuerint. Immitte in cucurbitam et lege artis sublima. Massam sublimatam puriorem contere, et denuo sublima. Tunc in pulverem subtilissimum redige, adfusa Aqua destillata fervente lava, sicca et sollicite serva.

Hydrargyrum oxydatum rubrum.

(*Oxydum Hydrargyri rubrum.*)

℞. Hydrargyri puri quantum placet.
Solve in
Acidi nitrici quantitate sufficiente.

Immitte in retortam vitream, et igne primo leni, subinde fortiori ad siccum evapora. Massam residuam ulterius in vase fictili non vitreato, latioris fundi, interdum movendo cum spathula vitrea prudenter ure, usque dum colorem rubicundum splendentem induat.

Hydrargyrum oxydulatum nigrum.

(*Subnitras Hydrargyri ammoniatus.*)

℞. Hydrargyri puri Partes tres,
Acidi nitrici,
Aquae destillatae, singulorum Partes duas.

Coque in phiala leviter clausa et arenae balneo immissa, donec Acidum Hydrargyro ex toto saturatum sit. Liquori limpido adhuc calenti, ab Hydrargyro non soluto decantato et quatuor partibus Aquae destillatae calentis diluto, sensim instilla
Liquorem Ammonii caustici.
Praecipitatum inde natum, coloris nigri, Aqua destillata ablue, premendo inter chartas bibulas ab humido ocius libera, in loco umbroso moderatissimo calore sicca et serva.

Hydrargyrum purum.

R. Cinnabaris nativi pulverati Partes duas,
Ferri limati Partem unam.

Mixta immitte retortae loricatae, cujus orificium tubo e charta emporetica aquae immersa instruatur, et igne sensim aucto destilla. Metallum obtentum ab humiditate libera et serva.

Hydrargyrum stibiato-sulphuratum.

(*Sulphuretum Hydrargyri stibiatum.*)

R. Stibii sulphurati nigri laevigati Uncias duas,
Hydrargyri puri,
Sulphuris puri, singulorum Unciam unam.

Misceantur et terantur donec Hydrargyrum penitus dispareat.

Hydrargyrum sulphuratum nigrum.

(*Sulphuretum Hydrargyri nigrum.*)

R. Hydrargyri puri,
Sulphuris depurati Partes aequales.

Misceantur sedulo in mortario vitreo, donec Hydrargyrum Sulphure mixtum plane dispareat.

Kali aceticum.

(*Acetas Potassae.*)

R. Kali carbonici Partem unam,

Aceti destillati quantum ad saturationem requiritur.

Liquor in lebete stanneo ad partes circiter tres evaporatione redactus et filtratus, in vase vitreo aut porcellaneo, supra arenam calidam posito, ad siccum evaporet. Sal concretum statim in vitro obturando serva.

Kali carbonicum.

(*Subcarbonas Potassae.*)

Tartarus crudus vase idoneo inclusus, uratur, donec sine flamma et fumo candeat. Massa carbonacea restans Aqua calida elixetur, liquor coloris expers filtretur, et ad siccum evaporet.

Kali carbonicum perfecte saturatum.

(*Carbonas Potassae.*)

℞. Kali carbonici Uncias duas.

Solve in

Aquae destillatae Unciis tribus,

dein immitte in lagenam vitream capacitatis Librarum viginti, Gas carbonico repletam, et sedulo agita per quadrantem horae. Collectas e deposito fluido crystallos et charta emporetica mundatas, serva.

Kali causticum siccum.

(*Potassa caustica.*)

Liquor Kali caustici evaporet in vase ferreo, donec gutta in metallum frigidum demissa, perfecte concrescat; tum effunde,

et frustula diffracta statim in vase rite obturato serva.

Nota. *Ad obtinendum* Kali causticum fusum s. Lapidem causticum chirurgorum, *Kali causticum siccum igne liquescat, et fluens instar olei in formas cylindricas effundatur.*

Kali nitricum.

(*Nitras Potassae.*)

Nitrum crudum in Aquae fervidae duplo liqua. Soluto Liquorem Kali carbonici quamdiu turbatur, instilla et per chartam colatum, ut crystalli concrescant, sepone. Liquor residuus, ad dimidium evaporatus, denuo crystallos demittit. Quae operatio repetenda est, usque dum crystalli Kali nitrici purae evadunt.

Kali sulphuratum.

(*Sulphuretum Potassae.*)

℞. Sulphuris depurati Partem unam,
Kali carbonici siccati Partes duas.

Mixta in crucibulo tecto et satis amplo leni igne in massam homogeneam coëant, quam in conum fusorium, aut in mortarium aeneum, Oleo Amygdalarum illitum, effunde, frigefactam grossiuscule tere, et statim in vase rite clauso serva.

Kali sulphuricum.

(*Sulphas Potassae.*)

Massam salinam post destillationem acidi nitrici remanentem in Aquae quantitate

sufficiente coquendo solve, Acidum si abundat, creta satura, liquorem evapora, donec cuticula apparet. Filtra et in crystallos redige.

Kali tartaricum.

(*Tartras Potassae.*)

R. Kali carbonici quantum vis.
Solve in
Aquae fervidae Octuplo,
adde successive
Tartarum depuratum in pulverem tritum, donec effervescentia cessat. Liquorem rite saturatum chartam heliotropio tinctam non rubescentem ad siccum inspissa.

Linimentum saponato-camphoratum.

R. Saponis domestici siccati Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.
Solve ope caloris balnei aquae, et relinque in eo ad perfectam sordium subsidentiam. Liquorem limpidum alio vasi immitte, in quo
Camphorae Uncia una, in
Olei Rorismarini Drachma una et
Liquoris Ammonii caustici Uncia una,
soluta sint. Massam calide mixtam effunde illico in vascula Unciae unius capacitatis, subere et vesica humida claudenda.

Liquor Ammonii acetici.

(*Liquor Acetatis Ammòniae.*)

R. Ammonii carbonici sicci Uncias tres,
Aceti concentrati quantum requiritur ad saturandum.

Liquorem Aqua destillata simplici dilue, ut totius pondus sint Librae duae.

Nota. *Hic liquor cum Aquae destillatae simplicis Parte aequali dilutus,* Spiritum *sic dictum* Mindereri *constituit.*

Liquor Ammonii anisatus.

(*Spiritus ammoniato-anisatus.*)

R. Spiritus Vini rectificatissimi Libram unam cum dimidia,
Olei Anisi aetherei Unciam dimidiam.

Mixtis et solutis adde
Liquoris Ammonii caustici Uncias tres.

Serva.

Liquor Ammonii carbonici aquosus.

(*Liquor Subcarbonatis ammoniae.*)

R Ammonii carbonici sicci Partem unam.
Aquae destillatae calidae Partes tres.

Solve et serva.

Liquor Ammonii caustici.

(*Liquor Ammoniae purae.*)

R. Calcariae ustae Libram unam cum dimidia.

Conspergantur Unciis novem Aquae calidae, ut perfecte in pulverem fatiscant; cui in retortam vitream immisso, adde

Ammonii muriatici contriti Libram unam,

Aquae communis Libras quatuor.

Applicetur statim excipulum amplum,

Aquae destillatae Libram unam

continens. Juncturis probe clausis destillent leniter Librae duae, ut sint Liquoris Librae tres, in lagenis, epistomio vitreo obturatis, servandae.

Liquor Ammonii pyro-oleosi.

R. Ammonii carbonici pyro-oleosi Partem unam,

Aquae destillatae simplicis calidae Partes tres.

Solve et serva.

Liquor Ammonii succinici.

(*Liquor Succinatis Ammoniae.*)

R. Acidi succinici quantum placet,

tere in mortario vitreo adfundendo sensim

Liquoris Ammonii pyro-oleosi,

antea diluti cum

Aquae destillatae Parte aequali, quantum sufficit ad saturandum.

Liquor Ammonii sulphurati.

(*Liquor Sulphureti Ammoniae hydrogenati.*)

R. Calcariae ustae, cum

Aquae communis Uncia una

in pulverem redactae, Uncias tres,
Ammonii muriatici Uncias duas,
Sulphuris depurati Unciam unam.

Mixta in retortam vitream immitte, cui statim applicetur excipulum, continens
Aquae destillatae Uncias duas.

Juncturis probe firmatis, destilla igne sensim aucto ad siccum. Liquorem aurantii coloris foetorem hydrothionicum spargentem, vase vitreo bene clauso serva.

Liquor Ammonii vinosus.

(*Liquor Ammoniae spirituosus.*)

R. Spiritus Vini rectificatissimi Partes duas,
Liquoris Ammonii caustici Partem unam.

Misce et in vitro probe clauso serva.

Liquor Hydrargyri nitrici.

(*Liquor Nitratis Hydrargyri.*)

R. Hydrargyri puri Unciam unam.

Digerendo leni calore solve in
Acidi nitrici puri quantitate sufficiente.

Soluto adde
Aquae destillatae simplicis
quantum requiritur, ut liquoris sint Unciae quinque, cujus gutta Aquae purae instillata sedimentum ne edat.

Liquor Kali acetici.

(*Liquor Acetatis Potassae.*)

R. Kali acetici Libram unam,

Aquae destillatae simplicis Libras duas.

Solve et filtra.

Liquor Kali carbonici.

(*Liquor Subcarbonatis Potassae.*)

R. Kali carbonici Libram unam.

Solve in

Aquae destillatae simplicis Libris duabus,

filtra et serva.

Liquor Kali caustici.

(*Liquor Potassae causticae.*)

R. Kali carbonici Libras duas.

In vas ferreum missis, adfunde

Aquae communis fervidae Decuplum;

tunc successive ingere

Calcariae ustae Libras tres.

Coque per horae quadrantem agitando spathula. Si liquor, cum Acido quocunque mixtus, ullam producit effervescentiam, Calcaria usta est addenda. Cola per linteum. Liquor in lagenas vitreas obturandas immissus, quum subsederit, decantetur et evaporet, donec ejus Unciae quatuor compleant vas capacitatis Unciarum trium Aquae simplicis. In lagenis probe obturandis serva.

Liquor Saponis stibiati.

R. Sulphuris stibiati aurantiaci Unciam unam.

Solve digerendo in

Liquoris Kali caustici sufficiente quantitate,

admisce

Saponis medicati Uncias tres,
Spiritus Vini rectificatissimi,
Aquae destillatae simplicis, singulorum Libram dimidiam.

Digerantur leni calore, subinde agitando. Liquorem filtratum, qui ab acidis sedimentum aurantiaci coloris deponat, serva.

Liquor Stibii muriatici.

(*Liquor Muriatis Stibii.*)

R. Stibii oxydulati fusci Uncias duas,
Natri muriatici siccati Libram dimidiam.

Mixtis in retorta vitrea adfunde

Acidi sulphurici concentrati Uncias quatuor,
Aquae communis Unciis duabus

antea dilutas. Fiat destillatio ex arenae balneo igne sub finem aucto. Liquorem obtentum serva.

Magnesia carbonica.

(*Subcarbonas Magnesiae.*)

R. Magnesiae sulphuricae crystallisatae Libras decem,
Natri carbonici crystallisati Libras duodecim.

Solvantur seorsim in duplo Aquae ferventis, et filtrata in lebete stanneo agitando spathula lignea commisceantur. Post ebul-

litionem per horae quadrantem, mixtura diluatur Aqua fervida, et per linteum coletur. Magnesiam in colo remanentem edulcora, et leni calore perfecte sicca.

Magnesia sulphurica.

(*Sulphas Magnesiae.*)

Magnesiam sulphuricam satis puram Sal Saidschützense genuinum largitur; quae vero sub Salis anglici nomine venit, in Aquae fervidae pari pondere solvendo, filtrando et in crystallos redigendo, depuranda est.

Magnesia usta.

Magnesia carbonica in crucibulo tecto, igne fortiori uratur per horam et ultra, usque dum ab adfuso Acido sulphurico diluto non effervescat. Refrigerata in vitro obturando servetur.

Mel despumatum.

R. Mellis communis Libras sedecim,
Aquae communis Libras octo,

Mixta in vase stanneo coque, et spumam in superficie ortam, cochleari foraminibus parvis instructo sedulo auferens, per manicam e panno confectam cola, et lenissimo calore ad Syrupi consistentiam inspissa.

Mel glycyrrhizatum.

R. Radicum Liquiritiae incisarum Uncias octo,

Aquae communis ferventis Libras tres.
Macera per horam. Liquor expressus evaporet, donec supersint Unciae quatuordecim; quibus adde
Mellis albi Libras quinque.
Mixta coque leni igne ad syrupi spissitudinem.

Mel rosatum.

R. Florum Rosarum incarnatarum siccatarum Uncias octo,
adfunde
Aquae communis fervidae Libras quatuor.
Macera per noctem, cola et cum
Mellis despumati Libris octo,
leni igne ad Syrupi spissitudinem coque.

Mixtura oleoso-balsamica.

R. Olei Lavandulae,
— Majoranae,
— Caryophyllorum,
— Macidis,
— Cinnamomi,
— de Cedro, singulorum Scrupulum unum,
— Rutae,
— Succini rectificati, singulorum Guttas decem,
Balsami Peruviani Drachmam dimidiam,
Spiritus Vini rectificatissimi

Uncias decem.

Mixta solve, tincturam decantatam serva.

Mixtura sulphurico-acida.

(*Spiritus sulphurico-acidus.*)

Spiritus Vini rectificatissimos Unciis tribus,

successive instilla

Acidi sulphurici concentrati rectificati Unciam unam.

Serva.

Mixtura vulneraria acida.

R. Aceti crudi Libras tres,

Spiritus Vini rectificati Libram unam cum dimidia,

Acidi sulphurici diluti Libram dimidiam,

Mellis despumati Libram unam.

Misce.

Natrum aceticum.

(*Acetas Sodae.*)

R. Natri carbonici quantum vis,

Aceti destillati quantum ad saturationem requiritur.

Liquor filtratus et in vase stanneo ad crystallisationis momentum evaporatus, loco temperato seponatur. Crystallos natas collige et serva.

Natrum carbonicum crystallisatum.

(*Subcarbonas Sodae*)

R. Sodae venalis quantum placet,

contrita solvatur in Aqua fervida. Lixivium filtratum et ad crystallisationis punctum evaporatum, seponatur loco frigido, ut crystallos demittat, quae tam diu colligantur, quam purae prodeunt.

Natrum carbonicum perfecte saturatum.

(*Carbonas Sodae.*)

Simili modo ac Kali carbonicum, perfecte saturatum obtinetur.

Natrum phosphoricum.

(*Phosphas Sodae.*)

Acido phosphorico, Aquae calidae Octuplo diluto, addatur sensim Natrum carbonicum in Aqua solutum, dum hoc aliquatenus praevaleat. Liquor filtratus ad crystallisandum evaporet. Crystalli collectae in vase clauso serventur.

Natrum sulphuricum crystallisatum.

(*Sulphas Sodae.*)

Residuum salinum, e destillatione Acidi muriatici obtentum, conteratur, et in Aqua communi coquendo solvatur, cui Cretae pulveratae quantum ad perfectam saturationem Acidi plerumque praevalen-

tis requiritur, adde. Liquor salinus filtratus ad punctum crystallisationis evaporet, et loco frigido seponatur. Crystalli collectae serventur.

Oleum Absinthii aethereum.

R. Summitatum Absinthii vulgaris cum semine paene maturo Libras duodecim,
Aquae communis Octuplum.

Fiat destillatio e vesica, sub continua aquae ebullitione, quamdiu Aqua Oleo gravida prodit. Obtentum Oleum separetur. Aqua stillatitia supra novam Absinthii copiam, addendo Aquae communis quantitatem sufficientem, destillet et Oleum auferatur; haec operatio toties repetatur, donec Olei desiderata quantitas obtenta fuerit.

Eodem modo parentur.

Oleum Baccarum Juniperi;
— Corticum Aurantiorum;
— — Cascarillae;
— Florum Lavandulae;
— Herbae Majoranae;
— — Menthae crispae;
— — Menthae piperitae;
— — Roris marini;
— — Rutae;
— — Sabinae;

Oleum Radicis Calami;
— — Valerianae minoris;
— Seminis Anisi;
— — Carvi;
— — Cumini;
— — Foeniculi.

Oleum Absinthii infusum.

R. Summitatum Absinthii siccatarum Libram dimidiam,
Olei Olivarum Libras quatuor.

Digere vase clauso per dies quatuor, postea Oleum exprime, cola et serva.

Simili modo parentur:

Oleum infusum Chamomillae vulgaris;
— — Hyoscyami.

Oleum Amygdalarum.

Ex Amygdalis recentibus contusis et sacco cilicino aut cannabino inclusis, preli laminis, in aqua fervente tepefactis, exprimatur Oleum, quod, quum faeces resederint, in vase clauso servandum est.

Eadem methodo parentur:

Oleum Seminis Lini;
— — Papaveris.

Oleum animale aethereum.

R. Olei animalis foetidi quantum placet.

Infundatur cucurbitae vitreae ope infundibuli vitrei, ne cucurbitae latera inquinentur. Tum alembico et vase recipiente bene lutatis, fiat destillatio, lenissimo balnei arenae calore, quamdiu Oleum tenue elicitur, quod cautione eadem, cucurbitae novae cum aquae quadruplo mixtum infundatur, et applicato alembico ac vase recipiente puro, iterum calore blando destillet, dum limpidissimum, aquae instar apparet. Immittatur illico lagenulis vitreis drachmarum duarum, exacte obturandis et in Hydrargyro puro demergendis.

Oleum animale foetidum.

Obtinetur una cum Ammonio carbonico pyro-oleoso, encheiresi suo loco praescripta.

Oleum Cacao.

Semina Cacao leniter tosta, a corticibus liberata, contusa et sacco cannabino inclusa, Aquae bullientis vapore impraegna et ope torcularis, cujus laminae in aqua fervida calefactae sint, exprime. Oleum butyraceum ope aquae calidae liquatum, per linteum tenue cola et frigefactum serva

Oleum Caryophyllorum.

R. Caryophyllorum aromaticorum quantum vis.

Contusis et retortae vitreae immissis adfundatur

Aquae communis Octuplum,

et fiat destillatio ad dimidium. Oleum elicitum cum Aqua destillans et subsidens, separetur. Aqua vero eadem iisdem Caryophyllis iterum adfusa, denuo destillet, et Oleum obtentum cum priori mixtum servetur.

Eodem modo parentur:

Oleum Cinnammomi e *Cinnamomo vero;*

— Macidis.

Oleum Cerae.

R. Cerae flavae rasae,

Calcariae ustae pulveratae, singularum Libram unam.

Mixta et retortae vitreae immissa, arenae balneo destilla. Oleum elicitum butyraceum nova destillatione supra

Calcariae ustae Libram dimidiam

rectifica.

Oleum Chamomillae aethereum.

R. Florum Chamomillae vulgaris sine stipitibus Libras viginti.

Immissis vesicae superadfunde

Aquae communis Octuplum.

Stent loco temperato ad incipientem usque fermentationem, tunc destillando Oleum colore cyaneo ac specifica Chamomil-

lae fragrantia praeditum, ab aqua separa et serva.

Oleum Galbani aethereum.

R. Galbani Libras duas,
Aquae communis Octuplum.

Fiat destillatio, e retorta vitrea in arenae balneum recondita, ad dimidium. Oleum limpidum Aquae destillatae innatans collige et serva.

Oleum Nucistae.

R. Nucleorum moschatorum quantum vis.

Contusos, et sacculo cannabino inclusos, aquae bullientis vapore impraegna, dein ope preli, laminis aqua fervida calefactis, exprime Oleum et serva.

Oleum Ovorum.

R. Ovorum recentium, coctione in aqua duratorum, quantum vis.

Vitelli exemti in sartagine munda leni calore, ope pistilli lignei, agitentur donec rufescant et inter digitos pressi, Oleum emittant, tum sacculo inclusos prelo exprime. Oleum obtentum in vitro obturato serva.

Oleum Succini.

Oleum destillatione Acidi succinici obtentum, e retorta vitrea leni igne destillando rectifica et serva.

Oleum Terebinthinae.

R. Terebinthinae communis clare quantum vis,

Aquae communis Quadruplum.

Mixta immitte retortae et, igne sensim aucto, oleum destillando aufer.

Oxymel Aeruginis.

(*Mel Superacetatis Cupri.*)

R. Aeruginis crystallisatae Uncias quatuor,
Aceti crudi Libras duas.

Coque, dum liquoris quarta circiter pars supersit, filtra et adde
Mellis despumati Libras duas.

Oxymel scillinum.

R. Aceti scillini Libram unam,
Mellis despumati Libras duas.

In vase stanneo coquantur ad mellis liquidi spissitudinem.

Oxymel simplex.

R. Aceti crudi Libram unam,
Mellis despumati Libras duas.

Misce et in lebete stanneo coque ad mellis spissitudinem.

Pasta gummosa saccharata

(*loco Pastae de Althaea.*)

R. Albuminum Ovorum Numero sedecim,
Aquae Florum Aurantii Libram dimidiam.

Conquassata in spumam redige, iisque
Gummi Mimosae electi,
Sacchari albi, singulorum Libram unam cum dimidia,

prius in pulverem redactorum admisce. Massam spathula lignea agita, acquisito colore albo, igni leni admove ac misce, ut tenacitas ejus minuatur. Tum in capsulas papyraceas effunde et blando calore fornacis exsicca, exsiccatam ex papyro, antea parumper humectato, exime, et denuo siccatam serva.

Pasta Liquiritiae.

R. Radicis Liquiritiae decorticatae grossiuscule concisae Uncias quatuor.

Macera per horas duodecim in

Aquae fervidae Libris octo.

In infuso colato solve

Gummi Mimosae electi Libras duas cum dimidia,

Sacchari albi Libram unam cum dimidia.

Colatura leni igne, sine agitatione et caute evitando empyreuma, evaporet, donec gutta disco vitreo frigido instillata, gelatinae instar appareat. Tunc remota pellicula effunde in cistulas planas, e laminis ferreis stanno obductis paratas, et pauxillo Olei Amygdalarum inunctas. Pastam modico calore exsiccatam, et in taleolas scissam, serva.

Phosphorus.

R. Acidi phosphorici ex Ossibus Partes quatuor,

Carbonum pulveratorum Partem unam.

Probe mixta retortae terreae loricatae immitte, os colli aquae immerge, et igne furni anemii aperto, gradatim aucto ure, quamdiu gas prorumpere non desinet.

Phosphorum in fundo receptaculi collectum, et sacco linteo immissum, in aqua calida liqua, sub eadem exprime, expresso aquam frigidam superinfunde et serva.

Plumbum aceticum.

Saccharum Saturni solvatur in Aqua destillata calida. Solutum filtretur et loco frigido ad crystallisandum seponatur. Liquor remanens evaporet ad dimidium, ut denuo crystallos demittat.

Pulpa Prunorum.

Fructus Pruni domesticae maturi, exemtis nucleis coquantur ad mollitiem. Pulpa per cribrum setaceum trajecta evaporet ad requisitam spissitudinem. Singulis Pulpae Libris addantur

Sacchari albi pulverati Unciae duae.

Pulpa Tamarindorum.

Medullam Fructuum Tamarindi orientalis macera in Aqua calida, tere per cribrum setaceum, et blando calore ad requisitam spissitudinem evapora. Singulis Pulpae Libris tunc admisce

Sacchari albi pulverati Uncias duas.

Pulvis aromaticus.

R. Cinnamomi veri,

Cardamomi minoris, singulorum Uncias duas,
Zingiberis,
Caryophyllorum, singulorum Unciam dimidiam.
Misce, fiat Pulvis.

Pulvis dentifricius.

R. Tartari depurati Uncias quatuor,
Radicis Iridis florentinae Uncias duas,
Mastiches,
Myrrhae,
Catechu, singulorum Unciam unam.
Pulveratis et mixtis adde
Olei Caryophyllorum Guttas quadraginta.
Serva.

Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

R. Kali sulphurici Unciam unam,
Opii pulverati,
Radicis Ipecacuanhae pulveratae, singulorum Drachmam unam.
Misce exacte.

Pulvis Liquiritiae compositus.

R. Radicis Liquiritiae,
Foliorum Sennae, singulorum Uncias duas,
Seminum Foeniculi,
Sulphuris depurati, singulorum Unciam unam,

Sacchari albi Libram dimidiam.

Pulverata et mixta serva.

Pulvis sternutatorius.

R. Herbae Majoranae Partes tres,
— Mari veri,
Florum Convallariae majalis,
Radicis Iridis florentinae, singulorum Partem unam.

Misce, fiat pulvis.

Resina Jalappae.

R. Radicum Jalappae quantum vis.

In pulverem crassiusculum redactis, adfunde

Spiritus Vini rectificati quantum satis, ut radices contegat.

Mixta digere leni calore per horas quadraginta octo, et amota tinctura, radicibus residuis aliam Spiritus Vini quantitatem superinfunde et denuo digere.

Tincturis commixtis et filtratis aquae quartam partem adde, Spiritum Vini e balneo aquae destillando elice, et resinam subsidentem aqua fervida ablutam sicca et serva.

Sapo guajacinus.

Lixivio Kali caustici duplo Aquae diluto et leniter ebullienti, sub continua agitatione insperge successive,

Resinae Guaiaci nativae pulveratae quantum solvi potest. Liquorem cola et

leni calore ad massae pilularis consistentiam inspissa.

Sapo jalappinus.

R. Resinae Jalappae pulveratae,
Saponis medicati rasi, singulorum Uncias duas.
Mixta leni digestione solve in
Spiritus Vini rectificati quantitate sufficiente et ad massae pilularis consistentiam evapora.

Sapo medicatus.

R. Natri carbonici crystallisati Libras duas,
in
Aquae fervidae Libris viginti quatuor
solutis adde successive
Calcariae ustae Libras duas.

Coque per horae quadrantem. Liquor causticus, per linteum colatus et in vase clauso subsidendo depuratus, evaporet, donec ejus Unciae octo compleant vas, capacitatis Unciarum sex aquae communis. Liquori frigefacto in vase figulino admisce
Olei Olivarum Duplum.

Seponatur vas loco temperato, et agitetur massa per vices spathula lignea, donec homogenea appareat et spissescere incipiat. Effundatur tum in cistas ligneas planas, indurata scindatur in taleolas, loco temperato exsiccandas.

Sapo stibiatus.

R. Sulphuris stibiati aurantiaci Unciam unam.

Solve digerendo in sufficiente quantitate

Liquoris Kali caustici.

In liquido triplo Aquae destillatae diluto, dissolve

Saponis medicati rasi Libram dimidiam.

Evaporent leni igne ad massae pilularis consistentiam; addendo, dum massa rubet,

Liquoris Kali caustici quantum satis est, ut colorem ex albido cinereum induat.

In vase obturando serva.

Species aromaticae.

R. Herbae Majoranae,
— Menthae piperitae,
— Roris marini,
— Serpylli,
Florum Lavandulae, singulorum Uncias duas,
Caryophyllorum,
Cubebarum, singulorum Unciam unam.

Misce, fiat pulvis grossiusculus.

Species ad Cataplasma.

R. Herbae Malvae,
— Meliloti,
Florum Chamomillae vulgaris, singulorum Libram unam,

Seminum Lini Libras duas.
Pulverata misce.

Species ad Decoctum Lignorum.

R. Ligni Guajaci Libras duas,
Radicis Bardanae,
— Saponariae, singulorum Libram unam,
— Liquiritiae,
Ligni Sassafras, singulorum Libram dimidiam.
Concisa misceantur.

Species ad Enema.

R. Herbae Malvae Libras duas,
Florum Chamomillae vulgaris, Libram unam,
Seminum Lini Libram dimidiam.
Concisa et contusa misce.

Species ad Fomentum.

R. Strobulorum Lupuli Libram unam,
Florum Chamomillae vulgaris,
— Lavandulae,
Herbae Roris marini,
— Serpylli,
— Tanaceti, singulorum Uncias tres.
Concisa misce.

Species ad Gargarisma.

R. Herbae Althaeae,
— Salviae, singularum Libram dimidiam,

Florum Sambuci,
Radicis Pimpinellae albae, singulorum Uncias tres.
Concisa misce.

Species ad Infusum pectorale.

R. Hordei perlati Uncias quatuor,
Radicis Liquiritiae,
Herbae Farfarae,
— Hederae terrestris,
— Veronicae, singularum Uncias duas,
Florum Rhoeados,
— Verbasci,
Seminum Anisi vulgaris, singulorum Unciam unam,
Caricarum Uncias tres.
Concisa misceantur.

Species resolventes externae.

R. Herbae Absinthii,
— Menthae piperitae,
— Origani vulgaris, singularum Libram dimidiam,
Florum Chamomillae vulgaris,
— Lavendulae, singulorum Uncias duas.
Concisa misce.

Species ad suffiendum.

R. Olibani,
Benzoës,
Mastichis,
Succini, singulorum Libram unam,

Corticum Cascarillae Unciam unam.
Concisa et contusa misce.

Spiritus Angelicae compositus.

R. Radicis Angelicae Libram unam,
Herbae Scordii Libram dimidiam,
Radicis Valerianae,
Baccarum Juniperi, singulorum Uncias tres,
Spiritus Vini rectificati Libras sex,
Aquae communis quantum satis.
Destillando eliciantur Librae sex. In quibus solve
Camphorae Unciam unam cum dimidia.
Serva.

Spiritus camphoratus.

R. Camphorae Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.
Mixta solve.

Spiritus Cochleariae.

R. Herbae Cochleariae florescentis Libras duodecim.
Contusis adfunde
Spiritus Vini rectificati Libras sex,
Aquae communis quantum satis.
Destillent Librae sex.

Spiritus Formicarum.

R. Formicarum viventium, a quisquiliis mundatarum, Libras duas,

Spiritus Vini rectificati,
Aquae communis, singulorum Libras quatuor.
Destillando elice leni igne Libras quatuor.

Spiritus Lavandulae.

R. Florum Lavandulae siccatorum Libram unam,
incisos digere, cum
Spiritus Vini rectificati Libris quatuor,
Aquae communis quantum satis,
per viginti quatuor horas et Spiritum destillando elice.

Eodem modo parandi sunt:

Spiritus Roris marini *et*
— Serpylli.

Spiritus muriatico-aethereus.

R. Natri muriatici Uncias sedecim,
Mangani oxydati nativi Libram dimidiam.
In retortam vitream immissis, superadfunde
Acidi sulphurici concentrati Libram unam,
antea cum
Spiritus Vini rectificatissimi Libris quatuor
mixtam.
Destillando elice Libras tres.

Spiritus nitrico-aethereus.

R. Spiritus Vini rectificatissimi Libras duas,
Acidi nitrici Libram dimidiam.
Destillent e retorta igne lenissimo, Unciae viginti. Spiritum elicitum supra
Magnesiae ustae Unciam dimidiam rectifica et in vitris capacitatis unciarum duarum bene obturandis loco frigido serva.

Spiritus saponatus.

R. Saponis Hispanici rasi Libram unam,
Spiritus Vini rectificati Libras tres cum dimidia,
Aquae Rosarum Libram dimidiam.
Solve digerendo et filtra.

Spiritus sulphurico-aethereus.

R. Aetheris sulphurici Partem unam,
Spiritus Vini rectificatissimi Partes tres.
Misce et serva.

Spiritus sulphurico-aethereus martiatus.

R. Ferri puri limati quantum placet.
Solve in quantitate sufficiente
Acidi muriatici
cum tertia parte
Acidi nitrici
mixti, et leni calore balnei arenae evapora. Massam siccatam in cellam repone,

ut deliquescat. Liquorem coloris fusci saturati cum

Aetheris sulphurici Duplo

misce conquassando. Aetherem, hoc modo ferro oxydato muriatico impraegnatum, separa et cum

Spiritus Vini rectificatissimi Duplo

misce. Mixtum in vitris oblongis bene obturatis radiis solis tam diu expone, donec color omnis evanuerit. Tum sollicite serva.

Spiritus Vini rectificatus.

℞ Carbonum recenter ustorum Partem unam,

superadfunde

Spiritus Frumenti Partes duodecim.

Post macerationem per horas sex cola, et in vase destillatorio idoneo lege artis rectifica.

Nota. *Vas Unciarum decem Aquae capax Unciis novem Spiritus Vini rite rectificati repleatur.*

Spiritus Vini rectificatissimus.

Spiritus Vini rectificatus iterum remissiore balnei arenae calore tam diu destillet, quam gossypium, Spiritu stillante madefactum et accensum, post Spiritus deflagrationem in cinerem vertatur.

Nota. *Pondus specificum Spiritus Vini rectificatissimi, per repetitam destillationem ad dimidium obtenti, cujus Unciae quinque vas Un-*

ciarum sex Aquae capax plenius replent, est = 0,82 : 1,00 *Aquae.*

Spongiae ceratae.

Spongiae marinae tenues mundatae et exsiccatae, immergantur Cerae flavae liquefactae, ac prelo fortiter exprimantur, et ubi refrixerint, serventur.

Stibium oxydatum album ablutum.

(*Oxydum Stibii potasseum ablutum.*)

Stibio oxydato albo non abluto, de quo infra,

adfunde Aquae fervidae Decuplum; agita, ut solvantur salia illi adhaerentia; instilla

Acidi sulphurici diluti quantum satis, ut saturetur Kali, partem Stibii oxydati solutam in se continens. Pulverem album, in fundo vasis collectum, sedulo ablue; et adfusa alia aquae quantitate, a parte crassiori decantando libera, sicca et serva.

Stibium oxydatum album non ablutum.

(*Oxydum Stibii potasseum non ablutum.*)

R. Stibii sulphurati nigri Partes duas,
Kali nitrici Partes quinque.

Pulverata et mixta injiciantur successive in crucibulum amplum et leviter candens; partem Stibii oxydulatam lateribus adhaerentem, sollicite immiscendo. Detonatione peracta, massa deinde per semihoram candescat, tunc cochleari ferreo

eximatur. Refrigerata teratur in pulverem, vitro obturato servandum.

Stibium oxydulatum fuscum.

(*Oxydum Stibii fuscum sulphuratum.*)

R. Stibii sulphurati nigri,
Kali nitrici siccati, singulorum Par pondus.

Pulverata et mixta, in olla ferrea munda accendantur pruna admota. Post detonationem massa refrigerata in pulverem redigatur, Aqua fervida sedulo edulcoretur, et siccetur.

Stibium sulphuratum nigrum laevigatum.

(*Sulphuretum Stibii nigrum laevigatum.*)

Stibium sulphuratum nigrum electum, in mortario ferreo contritum, super lapidem expolitum et durum, adfuso pauxillo Aquae laevigetur, ut fiat pollen subtilissimum, loco tepido siccandum.

Succus Dauci inspissatus.

Radices Dauci sativi recentes mundatas et concisas, dimidio Aquae superfusas, in lebete stanneo coque, ut mollescant. Exprime succum, quem semel ebulliendo clarifica, et leni calore ad mellis consistentiam evapora.

Succus Juniperi inspissatus.

Baccae Juniperi maturae recentes conquassatae, digerantur cum Aquae com-

munis Octuplo per biduum. Succus modice expressus subsideat, et limpidus ad consistentiam mellis calore moderato inspissetur.

Succus Sambuci inspissatus.

R. Succi e Baccis Sambuci nigrae maturis expressi et defaecati Libras octo,
Sacchari albi Libram dimidiam.
Modico igne coquantur ad mellis spissitudinem.

Sulphur depuratum.

Sulphur sublimatum quale prostat, Aqua fervida ab Acido adhaerente perfecte libera et siccatum serva.

Sulphur praecipitatum.

R. Sulphuris depurati Partem unam,
Kali carbonici Partes duas.
Pulverata misceantur et liquentur leni igne in sartagine ferrea. Dein amota ab igne, pistilli lignei ope, agitentur per quadrantem horae, denuo liquentur, iterumque agitentur. Intime junctas, coque cum
Aquae fontanae sufficiente quantitate ad perfectam solutionem. Liquori filtrato adfunde
Acidi sulphurici diluti sufficientem quantitatem,
et praecipitatum inde natum aqua tepida adfusa ablue et sicca.

Sulphur stibiatum aurantiacum.

R. Stibii sulphurati nigri laevigati,

Sulphuris depurati, singulorum Libram unam.

Mixta, coque cum

Liquoris Kali caustici quantitate sufficiente,

in lebete ferreo continue spathula movendo, et aquam evaporatione consumtam hinc inde restituendo, usque dum fere soluta fuerint. Liquori aqua fervida diluto et per chartam colato, successive adde

Acidi sulphurici diluti quantum sufficit

ad praecipitandum Sulphur stibiatum; evites vero sedulo Gas hydrothionicum, in hac operatione emergens. Horis viginti quatuor elapsis, Aqua supernatans decantetur, praecipitatum Aqua tepida abluatur, denique lenissimo calore in loco umbroso siccetur et servetur.

Sulphur stibiatum rubeum.

R. Stibii sulphurati nigri Libras duas,
Natri carbonici siccati Libram unam.

Pulverata et mixta liquefiant in crucibulo tecto, igne moderato. Massam fluentem affunde, refrigeratam pulverisa, Aquae fervidae immitte, et per horae quadrantem spathula continue movendo, decoque. Liquorem etiamnum fervidum filtra. Refrigeratum a praecipitato sponte nato filtri ope separa, Stibio residuo reaffunde, addita aquae portione, denuo per qua-

drantem horae coque et filtra; et hanc operationem bis vel ter itera. Praecipitatum puniceum, leve, inde genitum, aqua tepida ablue, in loco umbroso blando calore exsicca et serva.

Syrupus Althaeae.

R. Radicis Althaeae decorticatae Uncias duas,
infunde per horas duodecim in
Aquae communis Libris duabus cum dimidia.
In colaturae Unciis viginti septem dissolve
Sacchari albi Libras quatuor.
Fiat ebullitione unica Syrupus.

Syrupus Amygdalarum.

R. Amygdalarum dulcium Uncias octo,
— amararum Uncias duas,
Decorticatis et in mortario lapideo pistilli lignei ope contusis, sensim adde
Aquae communis Libras duas,
— Florum Aurantii Uncias duas.
In emulsionis colatae Unciis viginti, dissolve
Sacchari albi Libras tres.
Calore lenissimo fiat Syrupus.

Syrupus Balsami Peruviani.

R. Balsami Peruviani Unciam unam
Infunde in vase clauso cum
Aquae fervidae Libra una.

In liquoris post refrigerationem decantati Unciis decem, solve
Sacchari albi Libram unam cum dimidia.

Syrupus Berberum.

R. Fructuum Berberum maturorum quantum placet.

Conquassati stent per dies tres, tum exprime succum. Hujus Succi defaecatione depurati Unciis viginti adde
Sacchari albi Libras tres.

Semel ebulliendo in lebete stanneo fiat Syrupus.

Eodem modo parentur:

Syrupus Cerasorum e *Succo Cerasorum acidorum;*
— Mororum, e *Succo fructuum;*
— Ribium;
— Rubi Idaei;
— Succi Citri.

Syrupus Cinnamomi.

R. Cinnamomi veri in pulverem grossiusculum redacti Uncias duas,
Aquae Cinnamomi vinosae Uncias quatuordecim.

Digerantur in vase clauso loco tepido per biduum. In Unciarum undecim colatura calore blando solve
Sacchari albi Libram unam cum dimidia,

ut fiat Syrupus.

Syrupus Corticum Aurantiorum.

R. Corticum Aurantiorum siccatorum, et a substantia medullari mundatorum, Uncias quatuor.

Minutim concisis adfunde

Vini albi Gallici Libras duas cum dimidia.

Digere per biduum vase clauso et exprime. Unciis viginti colatis adde

Sacchari albi Libras tres

et una ebullitione in Syrupum redige.

Syrupus Croci.

R. Croci Unciam dimidiam,

Vini Gallici albi Libram unam.

Stent in leni digestione per aliquot horas. In liquoris expressi Unciis decem solve

Sacchari albi Libram unam cum dimidia,

ut fiat Syrupus.

Syrupus Florum Aurantii.

R. Aquae Florum Aurantii Uncias decem,

Sacchari albi Libram unam cum dimidia.

Fiat Syrupus.

Syrupus mannatus.

R. Foliorum Sennae Uncias quatuor,

Seminis Foeniculi Unciam dimidiam, infunde

Aquae fervidae Libris duabus.

Stent in vase clauso per aliquot horas.
In liquoris expressi et colati Libra una cum dimidia, solve
Sacchari albi Libras duas,
Mannae Libram dimidiam.
Ebulliant semel, ut fiat Syrupus.

Syrupus opiatus.

R. Extracti Opii Granis viginti quinque,
in
Vini Malacensis Uncia una
solutis, admisce
Syrupi Althaeae Libras duas.

Syrupus Rhei.

R. Radicis Rhei concisae Uncias tres,
Cinnamomi veri Drachmas sex,
adfunde
Aquae bullientis Libras duas.
Digere per noctem. Colaturae Unciarum viginti adde
Sacchari albi Libras tres,
ut fiat Syrupus.

Syrupus Rhoeados.

R. Florum Rhoeados recentium Libram unam,
Aquae communis fervidae Libras duas.
Infusa macera per noctem. E colatura Unciarum viginti fiat, cum
Sacchari albi Libris tribus,
ebullitione unica Syrupus.

Syrupus Senegae.

R. Radicis Senegae concisae Unciam unam.
Coque cum
Aquae fontanae Libra una cum dimidia,
ad colaturam Unciarum decem, et addita
Sacchari albi Libra una cum dimidia,
fiat Syrupus.

Syrupus simplex.

R. Sacchari albi Libras tres,
Aquae communis Uncias viginti,
solvendo fiat Syrupus.

Syrupus Violarum.

R. Florum Violae odoratae recentium, a calyculis mundatorum, Uncias octo, infunde
Aquae fervidae Libris duabus.
Stent in vase stanneo per horas duodecim. Liquoris colati Unciis viginti adde
Sacchari albi Libras tres,
quo leni calore soluto, fiat Syrupus.

Tartarus ammoniatus.

(*Tartras Potassae ammoniatus.*)

R. Tartari depurati pulverati, quantum libet,
Aquae fervidae sufficiente quantitate soluto adde
Ammonii carbonici quantitatem aliquantisper punctum saturationis excedentem.

Dein filtra, in vase vitreo aut porcellaneo leni calore evapora et Sal siccum vase vitreo probe claudendo serva.

Tartarus boraxatus.

R. Boracis Libram dimidiam,
Tartari depurati Libram unam cum dimidia.

Subtilissime pulverata misce per quadrantem horae et usui serva.

Tartarus depuratus.

(*Supertartras Potassae.*)

Crystalli Tartari purificati venales explorentur num ab inquinamentis metallicis et salibus heterogeneis sint liberae, tum Aqua frigida abluantur, et iterum siccatae in mortario ferreo mundo et modice calefacto in pulverem terantur.

Tartarus natronatus.

(*Tartras Potassae et Sodae.*)

R. Natri carbonici quantum placet,
Solve in
Aquae fervidae Sextuplo.

Lixivio in vase stanneo ebullienti sensim adde,

Tartari depurati pulverati quantum satis ad saturandum.

Liquorem per chartam colatum evapora et ad crystallisandum sepone. Crystallos collectas et siccatas serva.

Tartarus stibiatus.

(*Tartras Potassae stibiatus.*)

R. Tartari depurati,
Stibii oydulati fusci, singulorum Uncias octo.
Mixta injiciantur in
Aquae communis Libras duodecim.

In vase vitreo aut porcellaneo balneo arenae commisso, ebulliant, subinde agitando per horae quadrantem. Calida etiam filtrentur et ad crystallisationis momentum evaporata, per noctem seponantur. Liquor a crystallisatione residuus evaporet, ut denuo crystallos demittat; quas collectas et siccatas in mortario lapideo, aut vitreo, in pulverem tenuem, vitroo adservandum tere.

Terebinthina cocta.

Partem resinosam, e destillatione Olei Terebinthinae remanentem, ex aqua exemtam, aëri expone, donec indurescat.

Tinctura Absinthii.

R. Summitatum Absinthii vulgaris siccatarum Libram dimidiam
Minutim concisis adfunde
Spiritus Vini rectificati Libras tres.

Post sufficientem digestionem in cucurbita clausa, exprime et filtra.

Tinctura amara.

R. Summitatum Centaurii minoris,

Pomorum Aurantiorum immaturorum,
Radicis Gentianae, singulorum Uncias duas,
— Zedoariae Unciam unam.
Concisis et contusis adfunde
Spiritus Vini rectificati Libras tres.
Post digestionem exprime et filtra.

Tincturae Arnicae.

R. Florum Arnicae Unciam unam cum dimidia,
Spiritus Vini roctificati Libram unam.
Mixta digere, post sufficientem extractionem exprime et filtra.

Eodem modo

Tinctura Aconiti ex herbis

paretur.

Tinctura aromatica.

R. Cinnamomi veri Uncias duas,
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum,
Galangae,
Zingiberis, singulorum Unciam dimidiam.
Contusa digerantur cum
Spiritus Vini rectificati Libris duabus.
Filtra et serva.

Tinctura aromatica acida.

R. Tincturae aromaticae Libram unam, instilla
Acidi sulphurici concentrati Unciam dimidiam.
Serva usui.

Tinctura Asae foetidae.

R. Asae foetidae Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.
Misce, digere et filtra.

Eodem modo paretur

Tinctura Myrrhae.

Tinctura Benzoës composita.

R. Benzoës Uncias quatuor cum dimidia,
Aloës lucidae Unciam dimidiam,
Balsami indici nigri Unciam unam,
Spiritus Vini rectificatissimi Libras tres.
In vase clauso leni calore digere, deinde per chartam cola.

Tinctura Calami composita.

R. Radicum Calami Uncias tres,
— Zedoariae,
— Angelicae, singularum Unciam unam,
Pomorum Aurantiorum immaturorum Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Libras tres.
Post digestionem exprime et filtra.

Tinctura Cantharidum.

R. Cantharidum contusarum Unciam dimidiam,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.
Macera frigide per triduum atque filtra.

Tinctura Cascarillae.

R. Corticis Cascarillae contusi Uncias quinque,
Spiritus Vini Gallici Libras duas.
Digere per dies octo et filtra.

Tinctura Cinnamomi.

R. Cinnamomi veri Uncias quinque,
Spiritus Vini rectificati Libras duas.
Digere per dies octo, exprime et cola.

Pari modo parandae sunt:

Tinctura Catechu;
— Chinae simplex, *e China fusca.*
— Corticum Aurantiorum, *a parenchymate albo mundatorum;*
— Gentianae;
— Pimpinellae;
— Valerianae simplex.

Tinctura Castorei.

R. Castorei sibirici minutim concisi Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Libram unam
Digere blando calore et filtra.

Tinctura Castorei aetherea.

R. Castorei sibirici minutim concisi Unciam unam,
Spiritus sulphurico-aetherei Libram dimidiam.

Macera frigide in vitro clauso per dies octo, saepius subinde agitando, dein filtra et serva.

Tinctura Catechu composita.

R. Myrrhae,
Catechu, singulorum Unciam dimidiam,
Balsami peruviani Drachmam unam,
Spiritus Cochleariae Uncias octo.

Digere blando calore per horas quadraginta octo, filtra et serva.

Tinctura Chinae composita.

R. Corticis Chinae fuscae pulverati Uncias tres,
Radicis Gentianae,
Corticum Aurantiorum, a parenchymate albo mundatorum, singulorum Unciam unam,
Spiritus Vini gallici Libras duas.

Digere et cola.

Tinctura Colocynthidis.

R. Colocynthidis a seminibus liberatae et minutim concisae Unciam unam,
Anisi stellati Drachmam unam,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.

Post blandam digestionem exprime, per chartam filtra et serva.

Tinctura Digitalis aetherea.

R. Herbae Digitalis minutim concisae Unciam unam,
Spiritus sulphurico-aetherei Uncias octo.

Digere per triduum in vitro obturato saepius agitando, loco frigido, filtra et serva.

Eodem modo

Tinctura Valerianae aetherea *paretur.*

Tinctura Digitalis simplex.

R. Herbae Digitalis minutim concisae Uncias duas.

Digere leni calore cum
Spiritus Vini rectificati Unciis octo.
Aquae destillatae simplicis Unciis quatuor
antea dilutis. Exprime et filtra.

Eodem modo para

Tincturam Hyoscyami *e herba.*

Tinctura Euphorbii.

R. Euphorbii Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.

Post digestionem filtra.

Tinctura Ferri acetici aetherea.

(*Liquor Acetatis Ferri aethereus.*)

R. Ferri puri limati quantum libet.

Immitte in cucurbitam satis amplam et caloris lenioris ope solve in

Acidi muriatici quantitate sufficiente.

Solutione peracta, sensim instilla

Acidum nitricum,

usque dum mediante calore Gas nitrosum, effervescendo non amplius prodeat et ferrum solutum perfecte oxydatum sit. Quam solutionem Aqua dilue, et ope Liquoris Kali caustici praecipita. Praecipitatum edulcoratum, aëri expositum, exsicca in tantum, ut massa remaneat paululum humida. Tunc sensim immitte, in

Acetum concentratum,

vitro cylindrico contentum, et bacilli vitrei ope saepius agita. Soluta prima Ferri praecipitati portione, aliam immitte et continua, quousque quid solvitur.

Cujus solutionis concentrati, coloris profunde badii, Unciis novem adde

Aetheris acetici Unciam unam, cum Spiritus Vini rectificatissimi Unciis duabus

commixtam. Serva.

Tinctura Ferri muriatici.

(*Spiritus Muriatis Ferri.*)

R. Ferri puri limati Uncias tres.

Immitte in phialam satis amplam et caloris lenioris ope solve in

Acidi muriatici sufficiente quantitate.

Solutum evaporet ad Libram dimidiam, cui adde

Spiritus Vini rectificati Libram unam cum dimidia.

Serva.

Tinctura Ferri pomati.

(*Liquor Ferri pomati.*)

R. Extracti Ferri pomati Uncias duas,

Aquae Cinnamomi vinosae Libram unam.

Solve.

Tinctura Guajaci.

R. Resinae Guajaci nativae Drachmas duas.

Pulveratis superadfunde

Spiritus Vini Taffia dicti Libras duas.

Digere per dies sex et liquorem limpidum post subsidentiam decantatum serva.

Tinctura Guajaci ammoniata.

R. Resinae Guajaci nativae tritae Unciam unam,

Liquoris Ammonii vinosi Libram dimidiam.

Frigida digestione in vitro clauso saepius agitando extrahatur Tinctura.

Eadem methodo

Tinctura Valerianae ammoniata

paretur.

Tinctura Kalina.

(*Spiritus potassatus.*)

R. Kali caustici sicci recenter parati Uncias quatuor.

In mortario ferreo calefacto in pulverem tritas immitte

Spiritus Vini rectificatissimi, in cucurbita leviter calefacti, Libris duabus.

Probe agitata, vase clauso balnei arenae calore per aliquot dies digere et Tincturam rubicundam serva.

Tinctura Opii crocata.

(*Vinum crocato-opiatum.*)

R. Opii comminuti Uncias quatuor,

Croci Unciam unam cum dimidia,

Caryophyllorum,

Cinnamomi veri, singulorum Drachmas duas,

Vini Malacensis Libras duas.

Mixta digere per dies quatuor, dein exprime et liquorem decantatum serva.

Nota. *Drachma continet solutum ex Opii Granis decem.*

Tinctura Opii simplex.

R. Opii comminuti Uncias duas,

Spiritus Vini rectificati,

Aquae Cinnamomi simplicis, singulorum Libram dimidiam.

Digere donec Opium solutum sit, cola et serva.

Nota. *Drachma solutum ex Granis decem Opii continet.*

Tinctura Pini composita.

R. Turionum Pini Uncias tres,
Rasurae Ligni Guajaci Uncias duas,
— — Sassafras,
Baccarum Juniperi, singularum Unciam unam.
Mixta digere cum
Spiritus Vini rectificati Libris tribus
per octiduum, tincturam dein exprime et per chartam cola.

Tinctura Rhei aquosa.

(*Infusum Rhei boraxatum.*)

R. Radicis Rhei in taleolas scissae Unciam unam cum dimidia,
Boracis pulverati Drachmas duas,
Aquae communis fervidae Libram unam.
Mixta macera per duodecim horas. Colaturae Unciarum decem admisce
Aquae Cinnamomi vinosae Uncias duas.
Serva.

Tinctura Rhei vinosa.

(*Vinum Rhei aromaticum.*)

R. Radicis Rhei concisae Uncias duas,
Corticum Aurantiorum mundatorum Unciam dimidiam,
Cardamomi minoris Drachmas duas.

Mixta digere cum
Vini Malacensis Libris duabus
per quatuor dies, dein exprime et admisce
Extracti Helenii Unciam dimidiam,
Sacchari albi Uncias tres.
Serva.

Tinctura Succini.

℞. Succini pulverati Libram dimidiam.
In sartagine ferrea leniter tosto adfunde
Spiritus Vini rectificatissimi Libras duas.
In cucurbita clausa digerantur leni calore per aliquot dies. Tincturam saturatam filtra et serva.

Vinum stibiatum.

℞. Stibii oxydulati fusci Unciam dimidiam,
Vini Malacensis Libram unam.
Mixta digere loco frigido per duodecim dies, agitando vas saepius et liquorem limpidum decanta.

Unguentum basilicum.

℞. Adipis suillae depuratae Libras tres.
Cerae flavae,
Colophonii,
Sevi ovilli depurati, singulorum Libram unam,
Terebinthinae Libram dimidiam.
Leni igne liquata colentur.

Unguentum Cantharidum.

R. Cantharidum contusarum Uncias duas,
Olei Seminis Papaveris Uncias octo.

Mixta digere in balneo aquae per horas duas. Colaturae Librae dimidiae adde

Cerae albae Uncias quatuor,

ut fiat Unguentum.

Unguentum Cerussae.

R. Adipis suillae depuratae Libras duas.
Sevi ovilli depurati Libram unam.

Liquatis admisce

Cerussae subtilissime tritae Libras duas.

Serva.

Unguentum Elemi.

R. Elemi,
Terebinthinae laricinae,
Sevi ovilli depurati,
Adipis suillae depuratae, singulorum Par pondus.

Leni igne liquefacta cola per linteum et serva.

Unguentum Hydrargyri cinereum.

R. Hydrargyri puri Libram unam,
Sevi ovilli depurati Uncias octo.

Tere in mortario lapideo invicem ad perfectam Hydrargyri extinctionem; tunc admisce

Adipis suillae depuratae Uncias sedecim,
Olei de Cedro Drachmam unam.

Serva.

Unguentum Mezerei.

R. Corticis Mezerei recentis contusi Libram unam,
Adipis suillae depuratae Libras duas.
Coque leni igne ad aquosi exhalationem, et in adipe expressa dissolve
Cerae flavae Uncias duas,
Olei de Cedro Drachmas duas.
Serva.

Unguentum oxygenatum.

(*Adeps oxygenata.*)

R. Adipis suillae depuratae Uncias octo.
Supra lenem ignem in vase terreo liquatis sensim admisce, diligenter agitando,
Acidi nitrici Unciam unam.
Refrigeratum vase vitreo clauso serva.

Unguentum Roris marini compositum.

R. Adipis suillae depuratae Libras quatuor,
Sevi ovilli depurati Libras duas,
Cerae flavae Libram dimidiam.
Liquefactis et refrigeratis admisce
Olei Laurini Uncias duas,
— Roris marini,
— Baccarum Juniperi, singulorum Uncias tres.
Mixta serventur.

Unguentum rosatum.

R. Adipis suillae, in Aqua Rosarum lotae, Uncias octo,
Cerae albae Uncias duas.
Leni igne liquefactis et refrigeratis, sensim immisce
Aquae Rosarum Uncias tres,
Olei de Cedro Drachmam unam.
Serva.

Unguentum saturninum.

R. Cerae albae Libram dimidiam,
Olei Olivarum Libras duas.
Liquefactis successive immisce
Aceti saturnini Uncias tres,
Aquae Rosarum Libra dimidia dilutas. Serva.

Unguentum sulphuratum compositum.

R. Sulphuris depurati,
Zinci sulphurici siccati et pulverati, singulorum Uncias duas,
Adipis suillae depuratae Uncias octo.
Mixta serventur.

Unguentum Terebinthinae aloëtinum.

R. Terebinthinae laricinae Libram dimidiam,
Mellis crudi Uncias quatuor,

Tincturae Aloës Uncias tres,
Vitelli Ovorum Numero quatuor.
Misceantur exacte.

Zincum oxydatum.

(*Oxydum Zinci.*)

R. *Z*inci puri quantum vis.

Immitte crucibulo prunis imposito et aliquantulum inclinato, igneque sensim aucto liqua. Simulac metallum flammam conceperit, appone crucibulum inversum, ita tamen, ut aëri atmosphaerico aditus aliquatenus pateat; quo amoto, oxydum natum separa, et hancce methodum, usque dum omne metallum in oxydum versum fuerit, repete. Oxydo collecto aquam destillatam superinfunde et agita, ut partes metalli non oxydatae fundum petant, quaecunque leviora sedulo aufer, in crucibulo denuo ure, et vase probe clauso serva.

Nota. *Parando hocce oxydum, minorem quantitatem metalli repetitis vicibus in crucibulum ingerere praestat.*

Zincum purum.

Zincum venale quale prostat, liquetur modico igne in crucibulo. Agitando spatula ferrea, injice per vices Sulphuris frustula, scorias ortas remove, iterum iterumque Sulphur adde, usque dum illud comburatur, nullas omnino producendo scorias.

Zincum sulphuricum.

(*Sulphas Zinci.*)

R. *Zinci puri* in frustula parva diffracti, quantum placet.

Solve in

Acidi sulphurici diluti quantitate sufficiente.

Solutionem filtra, et post idoneam evaporationem in crystallos redige, quas siccatas serva.

EX TEMPORE PARANDA.

Aqua saturnina.

(*Liquor Acetatis Plumbi dilutus.*)

R. Aquae destillatae Libram unam,
Aceti saturnini Drachmas duas.
Misce.

Elaeosaccharum Anisi.

R. Sacchari albi pulverati Unciam unam,
Olei Anisi aetherei Guttas viginti quatuor.
Misce.

Eodem modo ex quolibet Oleo aethereo, Elaeosacchara proprii nominis *parentur.*

Linimentum ammoniatum.

(*Oleum ammoniatum.*)

R. Olei Papaveris Partes tres,
Liquoris Ammonii caustici Partem unam.
Misce.

Liquor Hydrargyri muriatici corrosivi.

(*Liquor Muriatis Hydrargyri ammoniati.*)

R. Hydrargyri muriatici corrosivi,
Ammonii muriatici, singulorum Granum unum.
Solve in
Aquae destillatae Uncia una,
et adde
Mellis rosati Scrupulum unum.

Liquor Myrrhae.

R. Myrrhae pulveratae Partem unam,
Aquae destillatae fervidae Partes quatuor.
Tere in vase porcellaneo per quadrantem horae, liquorem dein per linteum cola.

Liquor Vini probatorius.

(*Liquor Hydrogenii sulphurati.*)

R. Calcariae sulphuratae,
Acidi tartarici, singulorum Drachmam unam.
Seorsim pulverata, misce cum
Aquae destillatae Unciis octo,
et vitro clauso per horae quadrantem agita. Postquam seposita subsederint, liquorem limpidum in vasa bene claudenda decanta.

Pilulae jalappinae.

R. Saponis jalappini Partes tres,

Hydrargyri muriatici mitis Partem unam.

Misce, fiat Massa pilularis.

Tinctura Rosarum acidula.

(Infusum Rosarum acidulum.)

R. Florum Rosarum rubrarum siccatarum Drachmam unam,
Aquae fervidae Unciam unam,
Acidi sulphurici diluti Scrupulum unum.

Mixta macera per horas tres et colatum serva.

Unguentum cereum.

R. Olei Papaveris Partes decem,
Cerae albae Partes quatuor.

Liquata et ab igne remota agitentur donec refrixerint.

Unguentum Cerussae camphoratum.

R. Unguenti Cerussae Unciam unam,
Camphorae pulveratae Scrupulum unum.

Misce.

Unguentum Hydrargyri album.

(Unguentum Submuriatis Hydrargyri ammoniati.)

R. Hydrargyri ammoniato - muriatici Partem unam,

Unguenti cerei Partes octo.
Misce.

Unguentum Hydrargyri citrinum.

(*Unguentum Nitratis Hydrargyri.*)

R. Liquoris Hydrargyri nitrici Partem unam.
Calefactum sensim admisce
Adipi suillae depuratae liquefactae Partibus quatuor.
Serva.

Unguentum Hydrargyri rubrum.

(*Unguentum Oxydi Hydrargyri rubri.*)

R. Hydrargyri oxydati rubri laevigati Partem unam,
Unguenti cerei Partes decem.
Misce exacte.

Unguentum Majoranae.

R. Adipis suillae depuratae Unciam dimidiam,
Olei Majoranae aetherei Guttas decem.
Misce.

Unguentum Tartari stibiati.

(*Unguentum Tartratis Potassae stibiati.*)

R. Tartari stibiati subtilissime triti Partem unam,
Adipis suillae depuratae Partes quatuor.
Misce exactissime.

Unguentum Zinci.

(*Unguentum Oxydi Zinci.*)

R. Zinci oxydati albi Partem unam,
Unguenti cerei Partes octo.
Misce.

INDEX.

B.

